HONI SOIT QUI MAL Y PENSE



Mark Cephas Tutet.

JOHN ROBSON, M.D.

Warrington.

IN VERITATE LIBERTAS.

1865.

hs/a 3.3.0

"Mr Norris's Copy"

sold at the Sale for £4.6.0

Genuine edition

vide Debure

Tripartitu induci Deu, ubi in eo essentia tres personae residere dicuntur. Cal. Ins. 70.
Triadem esse imaginaria quia cu unitate pugnet, putat Seruetus.
3 Personas esse Ideas externas.

DE TRINI=TATIS ERRORIBVS LIBRI SEPTEM.

D. of Grafton 1786.

Per Michaelem Serueto, aliâs Reues ab Aragonia Hispanum.

~~BARCELONA.~~

Anno M. D. XXXI.

DE TRINITATIS ERRORIBVS, LIBER PRIMVS.

IN SCRVtandis diuinæ Triadis, ſanctis arcanis, ab homine exordiendum eo duxi, quia ad Verbi ſpeculationem, ſine fundamento CHRISTI, aſcendentes, quàm plurimos cerno, qui parum aut nihil homini tribuunt, & uerum CHRISTVM obliuioni penitus tradunt: quibus ego ad memoriã, quis ſit ille CHRISTVS, reducere curabo. Cæterum, quid, quantumq́; ſit CHRISTO tribuendum, iudicabit eccleſia.

Tria hæc in homine cognoſcenda, anteq̃ de Verbo loquamur.

Pronomine demonſtrante hominem, quem humanitatem appellant, concedam hæc tria. Primo hic eſt IESVS CHRISTVS. Secundo, hic eſt filius Dei. Tertio, hic eſt Deus.

Principio eum dici IESVM, quis negaret? id est puero, ad iussum angeli, in circuncisionis die, nomen impositum, sicut tibi Ioannes, & illi Petrus, Lucæ 1. & 2. IESVS, ut Tertulianus inquit, est nomen proprium uiri, & cognomen CHRISTVS. Iudæi eum esse IESVM omnes concedebant, sed CHRISTVM esse negabant, interrogantes de IESV qui dicitur CHRISTVS, & alienos à synagoga illos faciebāt, qui faterentur eū esse CHRIstum, super quo frequens erat Apostolorum contra ipsos disputatio, an IESVS ille esset CHRISTVS. Sed de IESV nunquàm fuit dubitatio nec quæstio, nec aliquis unquàm hoc negauit. Vide quo tendat ille sermo, & quo animo Paulus testificatur Iudæis IESVM esse CHRISTVM Act. 18. quo spiritus feruore Apollos ille Alexandrinus Iudæos publice ibidem reuincebat, ostendens per scripturas quod IESVS ille esset Messias. De quo IESV putas ista esse acta, credis ne eos ibi de hypostasidis putasse? Eum igitur esse CHRISTVM, sicut & IESVM concedere cogor, cum concedam eum esse à Deo unctū, nam iste est puer sanctus tuus quem unxisti, Acto. 4. Iste est sanctus sanctorum, quem ungendum prædixit Daniel 9. Et Acto. 10. tanquàm rem expeditam dixit Petrus, ipsi nostis, nam de IESV sermo omnibus

Nomen & cognomen pueri Iesu.

Nota in quo sensu hæc illi capiebant, antequàm Ioannes de uerbo scriberet.

bus est notus, ut scilicet IESVM à Nazaret unxe-
rit Deus spiritu sancto & uirtute, quoniã Deus erat
cum illo, & ipse est qui constitutus est à Deo iudex ui
uorum & mortuorum. Et Acto. 2. Certissime, inquit,
sciat omnis domus Israel, quòd hunc IESVM, quem
uos crucifixistis, fecit Deus & Dominum & Chri-
stum, id est, unctum. Aliqui tamen per illa prono-
mina rem aliam demonstrant. Sed Ioannes menda-
cem eum dicit, qui negat hunc IESVM esse à Deo
unctum: & qui concedit IESVM esse CHRI-
STVM, ex Deo natus est, 1. Ioan. 2. & 5. Tertu-
lianus itẽ aduersus Praxeam uocẽ, CHRISTVS
naturæ humanæ uocabulum esse dicit. Et aduersus
Martionem lib. 3. & 4. diligenti de uocabulo CHRI
STVS, facta inquisitione, nihil de re illa quam ali-
qui CHRISTVM faciunt, meminit, Quis etiam
inquit, est filius hominis, nisi homo ipse natus ex ho-
mine, corpus ex corpore: nam hebraico idiotismo, fi
lius hominis, filius Adam, nihil aliud quàm homo so-
nat: item ratio uocabuli illud importat, nam esse un-
ctum non potest, nisi ad naturam humanam referri.
Si ergo ungi, ut ipse ait, corporis passio est, quis ne-
gare potest hominem esse unctum? Præterea in re-
cognitionibus Clementis libro primo, rationem uo-
cabuli exprimit Petrus, quia reges Christi uocari so

lebant, ideo iste ab excellentia unctionis præ cæteris est rex Christus uocatus, quia sicut Deus angelis angelum, & bestijs bestiam, & syderibus sydus, ita hominibus hominem principem fecit Christum.

Item hominem dici Christum scripturæ sacræ authoritatibus apertissime docemur, cum & terrenus rex dicatur Christus. 1. Reg. 12. & 22. & Esaiæ. 45. Item Matth. 1. Ex qua genitus est IESVS ille, qui uocatur CHRISTVS. Nota articulum, & nota cognomen, nam intelligenda sunt simplicissime hæc uerba & pronomina illa, rem sensu perceptam demonstrant. Item Lucæ primo, Vocabis nomen eius IESVM. Et cap. 3. clarissime hominem IESVM describit dicens, Et ipse IESVS incipiebat esse triginta annorũ, & putabatur filius Ioseph. Et Acto. 13. Deus iuxta promissionem ex Dauid semine eduxit IESVM. Ibidemq; & Ioan. 1. dixit Iohannes, Non arbitremini me esse CHRISTVM. Quàm ridicula esset Iohannis excusatio, si Christi uocabulum non possit ad hominem referri, quorsum etiam monet CHRISTVS, ut eos homines euitemus qui se dicerent Christos. Friuola esset CHRISTI interrogatio & Petri respõsio Matt. 16. dum dixit CHRISTVS, Quem me dicunt homines esse filium hominis? Et Petrus respondit, Tu es ille Christus, tu es

ille filius Dei uiuentis. Nec esset uiuus sermo Dei, nā ad hominem loquens debuisset dicere, CHRISTVS in te est, filius Dei in te est, & non tu es. Et quando ibi iussit ne cui dicerent, quod ipse esset CHRISTVS, dic mihi quid per illud pronomen demonstrabat? nam luce clarius est quod seipsum demonstrabat, & de seipso loquebatur, nonne erubescis dicere quod erat sine nomine, & quod Apostoli tanto tempore ipsum prædicassent absq; hoc quod proprio nomine eum uocassent, & tu propria authoritate nouum & ineptum nomen & Apostolis inauditum ei imponis, humanitatem tantum eum uocans?

Item, ne te decipiat χριστός appellatio græca, sed cape hebraicam uocem מָשִׁיחַ aut latinam uocem, Vnctus. Et tu qui concedis nos esse unctos, uide si eum esse unctum audebis concedere: nec in hoc probando, quod ipso primo principio est clarius, tantum insisterem, nisi quia quorundam mentes uideo corruptas. Item, clarissimum est CHRISTI testimonium, se hominem uocantis Ioan. 8. Quæritis me interficere hominem, ueritatem uobis locutum. Et 1. Timoth. 2. Mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS. Item, non respicias ad illam uocem homo, quæ si comunicationem idiomatum admittas, adulterata est. Sed cape illam uocem

Christus.
Messias.

uir, & audi Petrum dicentẽ Acto. 2. CHRISTVM fuisse uirum adprobatum. Et Lucæ ulti. de IESV Nazareno, qui fuit uir propheta potens. Et Ioan. 1. Post me ueniet uir. Et Esa. 53. Nouissimum uirorum uirum dolorum. Et Zacha. 6. Ecce uir, germen nomen eius. Et Acto. 17. Iudicaturus est Deus per eum uirum scilicet CHRISTVM. Item, Noli circulo quijs legem Dei calumniari. Perpende potius naturam pronominis demonstratiui, & cognosces istam esse originalem illius uocis significationem, nam sæpissime eo ad oculum demõstrato conceditur, hic est ille CHRISTVS, tu es IESVS. Et quod loquitur, quærit, respondet, esurit, & quod uidebant eum ambulantem super aquas. Similiter, quem quæritis, IESVM Nazarenum, ego sum, & quẽcunq; osculatus fuero ipse est, tenete eũ. Et alibi, Ego ipse sum, palpate & uidete. Et Acto. 2. Hunc IESVM quem uos interemistis, suscitauit Deus, cuius omnes testes sumus. Quid iam per talia pronomina demonstrabis? Vt sit oculare testimonium, nonne deterioris sumus nos conditionis quàm Samaritana mulier, quæ Ioan. 4. dixit, Venite & uidete hominem qui dixit mihi omnia quæcunq; feci, nunquid hic est ille Christus. Nec mirum, quod mulier super CHRISTO fundata ita dixisset, nam cũ ipsa quæreret Messiam

uenturum

uenturũ, qui dicitur CHRISTVS, respondit ipse, ego sum qui loquor tecum, ego ego, non res illa, sed ego qui loquor. Item, de quo homine intelligis illud Apostoli, Sicut unius hominis delicto, ita per gratiã unius hominis IESV CHRISTI. Et sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum: nam scriptura non capit hominem connotatiue, non modo hominem, sed Adam eum uocat 1. Corin. 15 Nos tamen hominem connotatiuum & sophisticum suppositum uolumus esse fundamẽta, tolle obsecro has sophisticas technas, & uidebis lucem magnam. CHRISTI sermones sunt fundamenta ecclesiæ, qui simplicissimi sunt et plani, imitemur Apostolos qui non arte humana compositis uerbis Christum prædicabant. 2. Pet. 1. Eloquia Dei eloquia casta cum simplicitate sunt accipienda. Et teste Apostolo 1. Cor. 1. & 2. Non in sublimitate sermonum est annunciandum testimonium CHRISTI, sed de plano & quasi paruuli facti, & quasi nihil aliud scientes nisi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum. Item quam fraternitatem nobis cum CHRISTO esse dices? Quis est ille qui exaltatus est præ consortibus suis? Qualis est comparatio quam inter CHRISTVM & Moysen facit Apostolus Heb. 3 dicẽs, Amplioris enĩ gloriæ iste præ Moyse dignus

habitus est, cum Moyses tanquàm famulus, CHRISTVS uero tanquàm filius. Quorsum etiam in dicta epistola ad Hebr. cap. 1. & 2. tantũ insistit Apostolus, ut ostendat CHRISTVM etiam ultra angelos fuisse exaltatum, nam quod secũda illa Dei natura sit, plus quàm angeli exaltata, multum friuole probaret: nec eius intentio ad illud potest aptari, ex sententia enim Prophetæ loquitur Apostolus, & Dauid admiratur tantam Christi gloriam, quod cum homo sit, omnia sint ei subiecta, Psal. 8. Item Iohan. 20. Signa fecit, ut credamus quod IESVS est ille CHRISTVS filius Dei. Nota quod expeditũ habet de IESV, sed ut credamus quod hic IESVS sit ille qui à solo Deo patre genitus ungendus erat, & quomodo ex miraculis secunda illa ignota res dignoscitur, nisi de eo quem signa facientem uidebant intelligatur, ut Ioan. 3. Nicodemus declarat, nam exteriora illa signa nõ arguunt interiores illas philosophias. Similiter Ioan. 5. CHRISTVS ipse testatur, quod opera quæ ipse facit satis declarant eum à patre missum. Et Natanael Ioan. 1. eo quia dixit, Vidi te sub ficu, infert ipsum esse illum filium Dei qui mittendus erat rex Israhel. Similem illationem faciunt Matth. 14. ex eo quod fugauit uentum: & Ioan. 6. ex signis quæ fecit, infert Petrus, Cognouimus quod tu

es CHRISTVS filius Dei uiui. Istæ illationes aperte etiam probant id quod secundo dixi, scilicet hunc quem CHRISTVM appello, esse filiū Dei, nam ex signis quæ faciebat, inferunt ipsum esse filiū Dei: & probato quod ille sit IESVS CHRISTVS, hoc probatum euadit, qui enim eum filium esse negat, IESVM CHRISTVM negat, cum scriptura nihil aliud clamet nisi IESVM CHRISTVM esse filium Dei. Præterea multis scripturarum testimonijs ipse specialiter esse filius monstratur, & eius respectu Deus dicitur pater, uere inquã pater, quia eo uicem humani patris supplente genitus est, nõ enim ex semine Ioseph genitus est, ut Carpocrates, Cerintus & Fotinus impie mentiti sunt. Sed potentissima Verbi Dei uirtus uice seminis uiri obumbrauit Mariæ agente in ea spiritu sancto Luc. 1. & sequitur, Quapropter & quod nascetur sanctũ, uocabitur filius Dei. Pondera uerbum, quapropter, nota illationem, nota rationem quare filius Dei uocetur. Eandem filiationis rationem in homine IESV CHRISTO nobis aperit Daniel, eum uocans lapidem sine manibus abscisum. Item Matthæi 1. eadem filiationis ratio redditur dum dicitur, quod facta est grauida à spiritu sancto, & quod in ea conceptum est, à spiritu sancto profectum est. Dic obsecro quæ

Secunda propositio.

est illa proles in ea genita & concepta quæ à spiritu sancto proficiscitur, ex quo infert quod filius quem pariet erit saluator Emanuel. Annota quod dicit Lucas, Is filius quem tu concipies & paries, filius altissimi uocabitur: dicit præterea, Is erit magnus, & dabit illi Deus sedem. An ergo secunda illa persona sit facta magna, & acceperit à Deo sedem Dauid patris sui. Quare non dixit filius primæ personæ uocabitur, & dabit illi prima persona sedem. Sed dixit filius altissimi Dei, & dabit illi Deus sedem. Aliqui uerba angeli peruertere nitentes uocem, Sanctum, ibi calūniantur quasi primogenitus CHRISTVS non sit ea dignus, præcipue cum idem Lucas capite sequenti declaret, quare sanctum dixerat, quia omne primogenitum sanctum Deo uocabitur Exod. 13. & 34. & Nume. 8. similiter Acto. 4. dicūt apostoli, Sancti filij tui IESV. Præterea Dei uirtutem quid philosophicum dicere uolunt, sed utinā intelligerent quid sit uerbum Dei, nec ostendunt qualiter illud fuerit uice seminis uiri, nam ad interrogationem de semine uiri per Mariam factam respondet angelus: nec ipsi declarant quid est id quod ab illa uirtute seminis uicem supplente genitum, filius Dei uocabitur, nam Lucas non dicit illam uirtutem filium uocari: sed id quod ab illa uirtute genitum est: filius Dei ideo uocabitur,

quia

quia illa Dei uirtus est uice seminis uiri: nec animad-
uertunt quanta & quàm lata sint huius uerbi & se-
minis arcana, ad cuius similitudinē dicitur, quod se
men seminantis est uerbum Dei, quia sicut uerbo dei
genitus & natus est CHRISTVS, ita Verbo Dei
nos renascimur. Renati, inquit Petrus, per sermonē
Dei uiuentis, & hoc semel immortale appellat, &
genuit nos sermone ueritatis. Male ergo philosopha
ti sunt hominem filium esse negantes, ut de Verbo fi
lium faciant: tamen aliter se habet rei ueritas, & Io
hannes aptius putauit dicere Verbum quàm filius,
immò ratione Verbi caro dicitur filius. De Verbo
postea dicam, pronunc proprium honorem & glo-
riam IESV CHRISTO seruemus, nā & ex hoc
etiam Verbum intelligemus. Item hominem dici fi-
lium ipsa uocabuli natura nos docet, nam sicut pro
pria passio corporis est ungi: ita propria passio car-
nis est nasci, Caro igitur, inquit Tertulianus, nata
est, & caro erit filius Dei. Item quis est ille pueru-
lus, de quo totiens fit mētio Matthæi 2. quem assume
bat, ducebat, & reducebat Ioseph, dic an puer sit no
mē hypostasis? Vide si puer ille sit ibi filius ex Aegy
pto uocatus. Item dic mihi, an ille, quem tu humanita
tem appellas, erat iumētum aut homo: nam si homo,
& genitus & natus, & si sic genitorem habebat.

Dic ergo à quo genitus est, & per cõsequens, filius erit illius qui eum genuit. Dic si genitus est à Ioseph patre, an ab alio patre. Nec alium patrem reperies nisi deum. Aut dices esse phantasma, & nõ carnem, nam si caro est, ab aliquo patre nata est, ergo ipse alicuius filius est, nec credo te hic euadere posse, nisi ex duobus filijs unum filium facias, aut imaginarias filiatiões CHRISTO ipsi ignotas, philosopheris.

Sed quid mirum, dices (de suppositis taceam) duos filios fateri, nam duas duarum rerum natiuitates & longe diuersas. Similiter duas duarum rerum generationes concedimus, ergo duos genitos & duos natos negare non possumus. Sophisticare quantumcunq; uelis in filiationis ratione, ut ex illis duobus unum cumulum, unum aggregatum, aut unum connotatiuum suppositum facias: nam deceptus es, si ex hoc tibi uideatur, secundum scripturæ synceritatem, unicum esse filium, cum tamen duos genitos & natos ante oculos uideas, quis inter natos & filios differentiam faceret? Nec tales uersutias unquàm Scripturæ cogitarunt, sed simplicissime de IESV unico Dei filio loquuntur, & nullam aliam rem, nullam aliam naturam, nihil præter hominem natum aut genitum scriptura meminit, & ita Ignatius de una & eadem re loquens, de IESV CHRISTO

STO

STO, inquit, filio Dei, qui est uere natus ex Deo & ex uirgine, ex Deo ante secula, postea autem ex Maria sine semine uiri, sed qualiter, hoc uidebitur infra. Pro nunc simplicissime uolo, quòd uetulæ lippi, & tonsores, CHRISTVM esse filium Dei agnoscant, & in hoc sit radix & fundamentum, postea de Verbo liberius loquemur. CHRISTVS enim & mulieribus se esse Messiam prædicabat. Respice obsecro, quomodo uetula filium illum metaphysicum intelliget, ubi quàmplurimi & subtilissimi hæresiarchæ lapsi sunt.

Item ad prædicta Deus dixit Iohanni, Super quem uideris spiritum Dei descendentem & manentem super eum, hic est ille. Et ego uidi, & testimonium perhibui, quòd hic est filius Dei Ioannis, primo capite.

Nota obsecro patentissima uerba sine circumloquio. Nam tua sententia deceptus fuisset Iohannes, dicens illum de quo uidit esse filium Dei, nec est credibile ipsum de re illa separata excogitasse, nec de ea cognoscenda dederat ei Deus signum. Aut dices cœlestem uocem fuisse fallacem, dicendo, Super quem uideris, hic est ille. Fallax etiam fuisset dum super re omnibus præsente descendens, dixit, Hic est filius meus, uel tu es filius meus, Matthæi & Lucæ 3.

Si rem aliam latentem per illud pronomen demonstrabat, nõ fuisset patens testimonium, seduxisset populum. Item Ioan. 9. interrogatus IESVS, quis est ille filius Dei, respondit, Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est, quid clarius dici potuit? eo ad oculum demonstrato dixit Centurio, Vere hic homo filius Dei erat. Consydera nunc quòd illa pronomina rem sensu perceptam demonstrant, nec credo q. Centurio fuisset Sophista, aut fuisset per cõmunicationem idiomatum locutus. Item audi Paulum, qui ilico atq; uisum recepit, ingressus synagogam, prædicabat IESVM, quoniam hic est filius Dei Act. 9. nec sermo de uerbi hypostasi hic perquiritur, immò ille ex post facto est à Iohanne declaratus ad hanc doctrinam confirmandã, non enim repugnat, sed nobiscum probat. Vide etiam si summus sacerdos de secunda hypostasi cogitabat dum dixit, Es tu filius Dei benedicti? & respondit IESVS, Ego sum. Mar. 14. Vos dicitis quia ego filius Dei sum. Lucæ 22. Similiter Lucæ 11. Ego credidi quod tu es CHRISTVS filius Dei, quæ liquidissima uerba, quantum sint cum sophistica illa communicatione idiomatum peruersissime detorta, ipsi dijudicent, ego enim cum summa simplicitate uerba CHRISTI intelligo, nec aliquã uim eis inferri permitto, nolo scripturã ad tuas

fictiones

fictiones componendas post te trahas. Sed quòd ipsa intacta seruata te trahat, nolo quòd tam patentem Euãgelij certitudinem, incertis imaginationibus red das dubiosam.

Si dicas, nihil uideri ultra alios CHRISTO tribui, cum & nos filij Dei nominemur. Respondeo, quòd imò ex hoc quòd nos filij Dei nominamur, probatur ipse esse uerus filius. Nam ad similitudinem hominis homines dicuntur filij, discrimen tamen est latum, ut cognito Verbi sacramento patebit. Et nos si filij dicimur, hoc est, dono et gratia per ipsum nobis facta, ideo ipse huius filiationis author, excellentiore longe modo dicitur filius: & quando de CHRISTO fit mentio, ponitur articulus, & dicitur, hic est ille filius Dei, ad designandum eum nõ generali appellatione dici filium, uti nos, sed peculiari quadam & insigni ratione: est enim ipse naturalis filius, sed alij non sunt filij originis, fiũt filij dei, non nascuntur filij Dei. Per fidem IESV CHRISTI efficimur filij Dei, Gala. 3. & Ioan. 1. Ideo per adoptionem dicimur filij, Roma. 8. & Ephesio. 1. At CHRISTVM simili ratione facere adoptiuum, impietas est Bonosianorum. Nam de CHRISTO non legitur talis adoptio, sed uera à Deo patre generatio. Et Sapien. 2. Non solũ filius, sed uerus filius.

Et Rom. 8. Non solum communis filius, sed proprius filius dicitur, & æque proprie Deus dicitur pater IESV CHRISTI. Sicut terreni patres dicuntur patres suorum filiorum, aliâs deus non posset dici causa peculiariter efficiens, & productiua alicuius certi effectus. Nam si ipse prolem aliquam sibi singulariter eligat, & se solo tantum operetur ad generationem illius, sicut terrenus pater potest operari, quare non æque proprie merebitur dici pater? Nunquid ego qui generationem alijs tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? Esaiæ 66. Immò potius dicitur ipse pater, quia ab ipso omnis paterna cognatio in cœlis & in terra nominatur, Ephe. 3. Eo magis, quia non solum eum genuit, sed deitatis plenitudine eum decorauit, ut in hoc assimiletur patri filius. Item alia ratione proprius quàm homines dicitur deus esse pater, quia ipse in aliorum generationibus operatur. Alij uero in sui filij generatione nihil agunt, ergo si proprius dicitur ipse pater, proprijssime ultra alios CHRISTVS dicetur esse filius.

Tertia propositio.

Tertio, istam dixi esse ueram, CHRISTVS est Deus, dicitur enim esse specie Deus, quia, ut inquit Apostolus, erat in forma Dei. Et secundum Tertulianum, Inuentus est deus per uirtutem, sicut homo per carnem. Nam CHRISTVS secundum interio-

interiorem hominem, ut Pauli more loquar, sonat quid diuinum, ex interiori diuinitus facta unctione. Secundũ carnem homo est, & spiritu est Deus, quia quod natum est de spiritu, spiritus est, & spiritus est deus. Et ita Esaiæ 9. Puer natus est nobis, uocabitur nomen eius deus fortis. Vide clare, & dei nomen & fortitudinem nato puero attributam, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra. Et Thomas Iohannis 20. eum appellat Deus meus, Dominus meus. Et Rom. nono CHRISTVS dicitur in omnibus deus laudandus & benedicendus. Multisq; alijs locis eius diuinitas ostenditur, quia exaltatus est ut acciperet diuinitatem, & nomen super omne nomen. Caueant ergo qui in tantum eum deprimere nituntur, ut humanitatem tantum ueluti rem quandam abiectam dici uelint, in tantum eum imperfectiorem reddunt, q, non solum negant esse dominum suum, sed negant esse à deo unctum regem Iudæorum, negant esse reconciliatorem, mediatorem, imò ea quæ sunt naturæ ab eo usurpant, negantes eum esse filium Mariæ, & deniq; negant esse hominem. Quis non lachrymabitur tantã Christi iacturam, q, Moyses homo terrenus mediator inter populũ & deũ fuerit uocatus, & secundus homo de cœlo cœlestis mediator esse negetur. Omnia hæc uolunt esse hypostasis nomina.

Negant hominem esse hominem, & concedunt Deum esse asinum.

Pro qua re communis ſchola communicationem idiomatum adinuenit, ſcilicet ꝙ natura humana ſua prædicata Deo cõmunicat, quandam nouam impoſi= tionem in illo termino, homo, fingunt, ut æquipolleat huic orationi, ſuſtentans naturam humanam, tuncq; per communicationem idiomatum hanc, Deus eſt ho mo concedunt. Fundatur hæc ſolida doctrina in illo Ioannis primo, Verbum caro factum eſt. Sed quantũ à Ioannis ſententia diſtent, poſtea cognoſces, hoc ſo lum interim tecum cogita, ſi CHRISTVS ipſe eſſet interrogandus, an imaginatio tam ſophiſtica eſſet reperibilis in ore eius, nam ſic oportet nos lo= qui, ut inquit Petrus, quaſi ſi loquamur eloquia Dei. Poſtquàm CHRISTVS ſe magiſtrum noſtrum uo cari iuſſit, ab eius oraculo eſſet reſponſum expectan dum. Cogita ſi CHRISTVS, aut eius diſcipulus Paulus nobis denuo prædicaret, an tolerare poſſet talia hominum figmenta, & placitas uocum impoſtu ras, & quod ab illis uniuerſalis & catholica fides pendeat. Sũt ne hæc ſuper firmam petram fundata? an potius ſuper arenam, quomodo omnis lingua con fitebitur CHRISTVM, ſi in ſola eorum lingua fa ctitiæ illæ & ſophiſticæ uoces reperiuntur? Quali= ter iudicarent iſti alias gentes ſentire de fide? Si cog noſcere uis an ſuper ſcripturis ſe fundẽt, uide ſi uox

homo

homo, ſuam impoſturam in Biblia ſonet, an in Græco uel Hebraico loco uocis latinæ ponatur illud totum, ſuſtentans naturam humanam. Nonne CHRISTVM magnum ſophiſtam & ſophiſtarum faciũt magiſtrum, dicentes, quod illa dictio CHRISTVS ſit à Prophetis, Apoſtolis, & Euangeliſtis impoſita, ad ſignificandum ſecundam perſonam, connotando q̃ ſuſtentet naturam humanam. Sed quid dicerent, ſi loco uocis Chriſtus, in omnibus Biblijs poneretur illa uox Vnctus, an ſimpliciſſime loquẽdo, ſecundam perſonam unctam eſſe dicerent, & eam accepiſſe ſpiritum ſanctũ & uirtutem, ut de uero CHRISTO dicitur Acto. 10. An ſecunda illa res dicere poſſet, Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. Sophiſtice etiã locutus eſſet de ipſa pater, dicendo, Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, ponam ſpiritum meum ſuper illum, Eſaiæ 42. non ad illam, ſed ad hominem IESVM relatum inuenies, Matthæi 12.

Item, quæ & qualis eſt communicatio prædicatorum, nam illud prædicatũ, ſuſtentans naturam humanam, prius non cõueniebat homini, qualiter ergo homo ſua prædicata, ſi non ſunt ſua, Deo cõmunicat?

His igitur cauillationibus reiectis, ſyncero pectore uerum CHRISTVM, & eum totum diuinitate plenum agnoſcimus. Sed quia hæc eius diui-

nitas ex Verbi Sacramẽto pẽdet. Pro nũc grosso modo dicamus, Deum posse homini deitatis plenitudinem communicare, & dare ei nomen quod sit super omne nomen. Si enim de Moyse concedimus quòd factus est Deus Pharaonis, multo fortius & excellentiori longe modo factus est CHRISTVS Thomæ & omnium nostrum Deus, dominus et magister. Et quia singulari modo Deus erat in eo, & quia per eũ deum habemus propitium, signanter dictus est Emanuel, id est, nobiscum Deus, immo ipse dicitur, El, Esaiæ 9. Item si nobis est datum à Deo priuilegium, ut filij Dei nominemur. 1. Ioan. 3. Cum CHRISTO latius erit priuilegium, ut non modo filius Dei, sed etiam dicatur & sit Deus noster, nam dignus est agnus qui occisus est, accipere diuinitatem, scilicet accipere potentiam, diuitias, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem, Apocalyp. 5. Aliaq; est in eo & multiplex Deitatis plenitudo, aliæq;, de quibus infra dicemus, imperuestigabiles diuitiæ eius, quæ omnia sunt prædicata quæ Deus homini communicat. Sed homo Deo nullum prædicatum de nouo dat, quid enim potest homo deo de nouo tribuere? Aut id attributum, est res friuola, indifferens. Aut est perfectio, & sic deus ea perfectione ante caruisset. Aut est imperfectio, & sic rationem imperfe-

ctionis

ctionis deo nūc cōuenire dices, quæ horribilia sunt. Quod autem Deus homini aliquid det, hoc non est detrimentum Dei, sed exaltatio hominis: nec est mutatio in Deo, sed in homine, pronomine enim demonstrante CHRISTVM, concedo, hoc est Deus noster, deus benedictus, deus fortis. Sed pronomine demonstrante inuisibilem deum, perhorresco concedere, hoc est mortuum, hoc est homo, sitiens, esuriens, hoc est asinus, hoc habet longas aures, sicut impudicissimi Sophistæ incircuncisis labijs concedunt. Nec tibi proderit si contra eos exclamando, cœlum terræ misceas, imò ferrea fronte, hæc esse eloquia Dei, tanquàm ignis purgata, dicent. Nec est cōtra tales aliud efficatius argumentum, quàm reducere eis ad memoriam præceptum Apostolorum Petri & Pauli. 2. Timot. 1. Formam habeto sanorum sermonum, sicut à me audisti. Et 1. Pet. 4. Si quis loquitur, loquatur quasi eloquia Dei. Et 1. ad Timo. 4. Qui diuersam sequitur doctrinam, ab ea quæ est secundum pietatem, sana CHRISTI doctrina, is inflatus est, nihil sciens. Vide nunc pietatem doctrinæ quam à Paulo didicerunt, quæ Deum habere longas aures, & esse asinum concedit: nec mirum, si Turci nos asinarios uocant, postquàm nos Deum uocare asinum non erubescimus.

Omnis sermo spurcus ex ore uestro nō procedat.

Tria pharisæorum argumenta soluit.

Instabis contra dicta, si CHRISTVS illo modo sit Deus, erunt iam plures dij. Hic propono solum CHRISTVM futurum mihi magistrum, ut solus ille me defendat, nam ex eius dictis omnia possunt resolui. Ad argumentũ istud pharisæorũ respondet ipse magister Ioan. 10. Quia ego dixi dij estis, declarat ibi CHRISTVS se Deum non natura, sed specie, non per naturam, sed per gratiam. Nam cum argueretur, quia se deum faciebat, de Deo respondit eo modo quo propheta deos dixit, eam sibi deitatis rationem attribuẽs. Etiam quia subdit, si eos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, quanto magis filius hominis quem pater sanctificat, nedum filius dicetur, sed etiam Deus. Ex priuilegio igitur ei datum est, ut sit Deus, quia pater eum sanctificat, per gratiam unctus est, exaltatus, quia se humiliauit, exaltatus præ consortibus suis. Datum illi nomen, quod est super omne nomen. Et, ut inquit Petrus, accepit à Deo patre honorem & gloriam, quæ omnia secundum gratiam sunt, nam per naturam solum patrem dici Deum, satis indicat scriptura, dicens, Deus & CHRISTVS, CHRISTVS & Deus, ita eos coniungit, quasi CHRISTVS sit res à Deo distincta. Similiter dum dicitur, Deus est pater IESV CHRISTI, differentia notatur inter Deum & CHRI-

Verba Christi unice obseruanda.

CHRI-

CHRISTVM, *sicut inter patrem & filiũ*. *Idemq́;* *quum dicitur*, CHRISTVS Dei, *Deus* Domini no*stri* IESV CHRISTI, *caput* CHRISTI *deus*. Et CHRISTVS *ad* Deum, *Deus meus deus meus*. *Et ex communi usu scripturæ, pater dicitur* Deus, & CHRISTVS, *Dominus* & *Magister*. Et Chri*stus ipse* Ioan. 17. *Cognoscant, inquit, te solum ue*rum deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM: *licet enim* CHRISTVM *uerum* Deum *esse dicam, tamen relatione ad patrem facta differen*tiam notat hic locus uerus*. De CHRISTO *dicitur apud* Ioannem, *ad differẽtiam simulacrorum*, & *eo*rum quos falso deos iactabant* 1. Ioan. 5. *Similiter ad* Timotheũ & Colossenses, *solus pater uocatur deus inuisibilis*. CHRISTVS *etiam bonus uocatus, ra*tionem bonitatis ad patrem transfert*, Matthæi 19.

Nec miretur aliquis quòd scripturas ab hæreticis pro se citatas induco, nam licet ipsi eis abusi sint, nõ propterea perdiderunt suam synceritatem, ut eis in æternum uti non liceat, nam sicut tu, ita & ego de homine ipsas intelligo. Nec ad eorum propositum illas induco. Quid enim si IESVM CHRISTVM *magnum* Deum *esse dico, & cum hoc quòd simpli*cissime loquendo ipse dicat*; Pater maior me est, *an propterea sim* Arrianus. Nam Arrius, *quum de filio*

diuersum à patre sentiebat stultissime, & CHRISTI gloriæ incapacissimus, nouam creaturam homine excellentiorem introduxit, cum tamen ea seclusa & seclusa omni distinctione potuisset concedere, Pater maior me est. Sed separatarum rerum pluralitatem philosophari uolens, fœdissime lapsus est.

Item, ne te decipiat uox, Deus, cuius significationẽ non intelligis, nec intelligere poteris, donec scias quid significet Elohim, quod tibi, si hebraice noris, infra reddam clarissimum. Nam cogitare debes, omnia quæ de CHRISTO scripta sunt, in Iudæa esse gesta. Et Hebræorum lingua, qua excepta in omnibus alijs est penuria nominum diuinitatis. Ideo nos inter Deum & Deum distinguere nescientes, fallimur, & quod iuxta uocem Elohim CHRISTVS sit factus Deus noster, non magis est quàm dicere, quod sit factus Dominus noster, iudex noster, & rex noster, postquàm datum est ei à patre regnum, omne iudicium, & omnis potestas. Quod satis indicat Thomas dicens, Dominus meus, deus meus. Et Esaias, Vocabitur, inquit, deus fortis. Audi etiam quod Cyrum regem, qui ueri CHRISTI erat typus, uocat scriptura Elohim, Deum Israelis. Esaiæ 45. Dabo, inquit, tibi thesauros absconditos, ut scias q, sum Dominus, qui uoco nomen tuum Deus Israel. Similiter si conce-

Deus, non est nomẽ naturæ

concedimus quòd Moyses constitutus est Deus Pha-raonis Exo. 7. *quare de uero* CHRISTO *negamus, nam* CHRISTVS *Moysen longe præcellit,* Hebræ. 3? *Istæ comparationes sunt minimæ, ut ex eis* CHRISTI *sublimitas probetur. Sed me ad eas cogis uenire, dum ita indigne de humanitate sentis, nec reponis in corde tuo, Deum posse ultra, quàm enarrari possit, hominem extollere, et supra omnem sublimitatem ad dexteram suam collocare. Sed hoc adhuc parum est ut de* CHRISTO *integre sentias, donec Verbi arcana noueris, & scies,* CHRISTVM *hunc ipsum, esse & fuisse ab æterno deum.*

Item, hanc in CHRISTO *Deitatis rationem, ex ueteri testamento cognosces, si scruteris quæ uox hebraica ponatur, quando* CHRISTVS *Deus uocatur. Et cum hoc notes differentiam inter* יהוה *proprium Dei nomen &* אלהים ארני אל *& alia similia Deo attributa. Et quod Thomas Ioannis* 20. *non Iehouah, sed elohim & adonai de* CHRISTO *dixerit, infra probabo. Similiter elohim dixit Apostolus ad Hebr.* 1. *Cuius rei ignorantia Græcos philosophos mire decepit. Imò Salomon iuxta historiam ibi dicitur elohim, est enim ille locus ex Psalmo* 44. *Nec Apostolus omne suæ probationis robur in uoce elohim fundat. Sed etiã quia dixit, Thronus*

& regnum eius in seculum seculi, nam ex sola uoce Elohim nõ probasset CHRISTVM maiorem angelis, nec maiorem alijs principibus, qui ab eodem propheta dij dicuntur. Imò ab eodem Apostolo, & ibidem, Angeli uocantur elohim, dum dixit, Adorate eum omnes angeli. Et, Minuisti eum paululum ab angelis. Vtrobiq; enim ponitur elohim. Nec omittam hic (quia contra me facere uidetur) falsam esse imaginationem eorum qui à Deo, & non ab angelis, diminutum dici uolunt, longe enim distãt à mente prophetæ, & ab Apostoli processu, qui totus est de angelis. Nec curo hic de naturis inquirere, sed hunc hebraismum seruabo, q res magnæ apud Hebræos nomine Deorum & angelorum uocantur, cõmunibus nominibus est apud eos sermo de angelis & insignibus hominibus. Et Petrus angelos eos uocat, qui Gene. 6. elohim, seu filij elohim dicuntur. Et sicut de illis, ita de cœlestibus angelis dicitur filij elohim Iob primo & 38. Similiter & אלים de angelis & hominibus fortibus dicitur, Psal. 88. & Iob 41. Hæc comparatio confert, ut litera spiritui seruiat. Nam ut infra dicam, Dauid in suis aduersitatibus à quibus liberatus est, gerit typum passionis & resurrectionis CHRISTI, & dicitur à dijs diminutus, q aliquas patitur calamitates, quas dij et potẽtes pati nõ solẽt.

Et

Et iste idem est sensus de CHRISTO pro tempore passionis. Nam si diligentius inspexeris dictum Pauli, nihil aliud continet quàm Psalmistæ interpretationem, ut hæc diminutio propter mortis cruciatum intelligatur, & ab angelis est diminutus, quando angelico exutus decore, ignominiose passus est. Et hos idiotismos solent Apostoli (græcam ut puto secuti interpretationem) per angelorum nomina significare, ut rem magnam significare uolens, si linguis hominum loquar & angelorum, si angelos iudicabimus, id est, si ea quæ sunt maiora, Et panem angelorum, id est, panem speciosum, In conspectu angelorum, id est, in conspectu principum. Quod & Chaldaica passim sequitur interpretatio. Et in dicto Psalmo 8. tam Græce quàm Chaldaice ponitur angelis pro elohim, & Græca tralatio est, quæ ubi sensus nõ uariat, ab Apostolis citari solebat. Ex quo etiam dictum Petri de angelis est clarum, nam septuaginta interpretes, angelos eos uocarũt, Gen. 6. Et dum res gesta narratur ad scripturæ historiam debet haberi relatio. Et Petrus in recognitionibus Clementis libro 1. dicit, quod erant homines, angelorum uitam agẽtes. Et angelos uocat epistola Iudæ, insignes illas bestias, quæ in superficie terræ grassantes, reliquerant proprium domicilium. Et hoc est quod peregri

Aldina editio nõ est 70. interpretũ.

nantes dicũtur, Ecclesiastici 16. Fuit enim Cain cum sua progenie (quos Hebræi Dæmonia magna uocãt) profugus in superficie terræ. Sed de his Petri dictis disputabo latius lib. 3. sufficiat pro nunc declarasse uocem Elohim, ne ex illis locis epistolæ ad Hebræos, quis contra me aliquid moliatur. Non solum enim illa diuinitatis nomina non reijcio, sed per excellentiam CHRISTO conuenire dico. Ideo ad notandum differentiam ab alijs dijs, additur, Deus omnis terræ, deus magnus, terribilis, fortis, mirabilis, & super omnia benedictus. Quam rem propter penuriam nominum diuinitatis, non aliter quàm per uocem θεός, Apostoli declarare Græcis potuerunt. Sed raro ea utuntur, quæ omnia sunt diligenter expendenda, nec tantum nobis fecissent negocij, si Hebraica Græci didicissent.

Omnia argumenta retorquentur.

Argumentum factum de pluralitate deorum retorqueri potest, nam iuxta CHRISTI responsum tres illas res, Deos concedere coguntur, & per naturam Deos. Aut CHRISTVS non est per naturam Deus, aut non respondit ad propositum: nam ibi de eius deitate agebatur. Ergo contra eos argumentũ pugnat. Si dij sunt eo modo quo filius est deus, & fingant quotcunq; sibi uelint per naturam deos, quia nobis cũ Paulo unus Deus sufficit, qui est pater,

& unus Dominus IESVS CHRISTVS, qui est filius. 1. Cor. 8. Adde etiam ad solutionem argumenti, quòd licet CHRISTVS sit Deus, est tamen unum cum patre. Ideo non arguitur pluralitas ad mentem eorum, nam iste est Deus, communicata sibi à patre deitatis ratione: ideo una & eadem est deitatis ratio, & simul cum patre est unus Deus.

Instabis præterea, quomodo CHRISTVS dicatur de cœlo descendisse, & missus à patre in mundum uenisse? Iam dixi in argumento præcedenti, quod qui huiusmodi argumentis innituntur, uidentur ad arma Pharisæorum recurrere, & cum eis carnaliter sapere. Nam Iohannis sexto argutabantur Pharisæi, Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem, quomodo ergo dicit hic, De cœlo descendi. Et magister noluit ueritatem eis aperire, sed post discipulis rem aperiens dixit, Quid igitur, si uideris filium hominis ascendentem ubi erat prius, spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquàm, uerba hæc spiritus & uita sunt. Item, CHRISTVS non de illa secunda re, sed de seipso loquens dicit, Quia de cœlo descendi, ergo ratio cõtra te procedit. Dico igitur, quod Verbũ Dei est id quod de cœlo descẽdit, ut dicitur Sap. Oĩpotens sermo tuus dñe exiliens de cœlo, qa intonuit de altissi-

Secundũ argumentum Pharisæorũ.

mo Deus, & de cœlo dedit uocẽ suam, & hic sermo est in terra factus filius. Intermiscensq; sermonem de pane illo cœlesti seipsum CHRISTVS declarat. Nam quid panis ille qui de cœlo descendit, nisi Verbum Dei, de quo potius quàm de materiali solo pane uiuit homo. Et hic sermo, hic panis, ut ipse testatur, est ipsemet CHRISTVS, ipsamet caro, ipsummet corpus CHRISTI. Sed quia hæc Verbi arcanum præsupponũt, ad sequentes libros differantur. Potuisses tamen interim intelligere de cœlo, id est, de supernis, quia ut ipse testatur, Vos deorsum estis, ego de supernis sum, Ioan. 8. Potuisses etiam uerba CHRISTI spiritualiter sic intelligere, nã CHRISTVS in spiritu Dei præcessit omnia tempora, & erat in cœlo, sicut & manet nobiscum usq; ad consumationem seculi. Et eo solo, quia uerba eius erãt cœlestia, debuisses concedere, quod ipse è cœlo erat, nã baptismus Iohannis è cœlo erat, & secundus homo de cœlo cœlestis. Ad id quod dicis eum missum à patre, non uidetur magna difficultas. Nam & Iohannes dicitur missus à Deo, Ioan. 1. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Similiter Moyses & Prophetæ missi à Deo dicuntur. Et Ioan. 17. CHRISTVS de Apostolis ad patrem loquens, Sicut tu, inquit, me misisti in mundum, ita ego mitto eos in

mundum

mundum. Et Ioan. 20. Sicut misit me pater, ita ego mitto uos. In has comparationes incidere cogor, non quia sit omnimoda similitudo, sed ut tibi persuadeam, hominē esse missum, quod tu tua seductus philosophia, renegare niteris. Est enim magnus abusus, ꝙ illa secunda res dicatur passiue mitti, cum sit ipsamet Dei natura. Est uerum, ꝙ hæc singularis CHRISTI missio, & à patre exitus radices habet in Deo fixas, quas patefacto Verbi arcano aperiemus. Similiter ꝙ CHRISTVM in mundum uenisse dicis, quid mirum, cum & alijs hoc conueniat, Ioannis. 1. Omnem hominem uenient e m in nc mundum. Item, de quo rege intelligis illud Lucæ 19. Benedictus qui uenit rex in nomine Domini. Item, consydera ꝙ illi qui spiritu Dei aguntur, extra mundū sunt, Ioan. 17. & 1. Ioan. 2. Et dicuntur intrare mundum, sicut domum publicanorum. Et dicuntur intrare terrenum istud tabernaculum corporis nostri, & dicuntur indui carne, sicutquando quis induitur uestimento. Et qui spiritu loquitur, supra mundum se esse consyderat. Et Petrus in hoc tabernaculo, tanquàm in re superpositicia, alligatum se esse dicebat, loquendo scilicet secundum interiorem hominem.

Tertium argumentum pharisæorū.

Præterea argumentari potes, quomodo CHRISTVS, ad Phili. 2. Non rapinā arbitratus est se esse

æqualem Deo. Hæc Pauli uerba sunt tam obscure & uarie ab eis interpretata, ut ex ipsis neminem clare conuincere possint, eo magis quia Paulũ de CHRISTO IESV simpliciter loqui est manifestissimum. Primo interpretantur quidam quòd secunda illa persona absq; latrocinio arbitrabatur se esse æqualem primæ. Iterumq; hanc prophanam expositionem ad philosophicas naturas detorquent, dicentes, quòd non arbitratus est esse rapinæ, id quod erat naturæ.

Alij legunt, Non arbitratus est rapinã, ut esset æqualis deo, id est, non arbitratus est æqualitatis dei rapinam, non curauit æqualitatem dei sibi usurpare. Iste intellectus maiorem habet apparentiam quàm primus, quia Paulus nunquàm de illis naturis cogitauit, & est contra mentem Pauli, qui nihil agit quàm CHRISTI modestiam & humilitatem. Etiam eis manifeste repugnat natura dictionis, Sed, quæ ut dicũt Legistæ capitur aduersatiue, & necessario debet esse hic sensus, non se exaltauit, sed humiliauit, non arbitratus est, sed deiecit, inaniuit, submisit se. Sed frustra in his (quæ omnia falsa sunt) operas perdo, cum in uerbis Magistri lateat uera solutio, est enim argumentum Pharisæorum, qui Ioan. 5. mordebant CHRISTVM, quia se faciebat æqualem Deo, & CHRISTVS respondens, hanc æqualitatem non

negauit,

negauit, sed dixit, quòd quæcunq; pater fecerit, hæc itidem & filius faciet, & sicut pater, ita & filius suscitat mortuos, uiuificat, leprosos mundat, cæcos illuminat, surdos, paralyticos, dæmoniacos, & alios curat, & deniq; pater omne iudicium, omnem potestatem dedit filio, ut omnes honorificēt filium, sicut honorificant patrem. Ecce quomodo CHRISTVS sit factus æqualis Deo, quia omnia quæcunq; habet pater, sua sunt. Ecce quomodo μορφὴ, id est, species Deitatis in eo relucebat, dum tanta operabatur miracula: & hoc est quod Paulus ait, eum in forma & specie dei constitutū. Ex his cōsyderemus CHRISTI humilitatem, quam tanquàm omnis humilitatis specimen, nobis adducit Paulus, nam tanto maior est humilitas, quanto maiori præditus potentia, magis se submittit & deijcit. Sunt enim multi uiri boni, qui si magistratus efficiantur, siue ad altiorem uenerint fortunam, efficiūtur tyranni. Sed nō sic in CHRISTO, nam CHRISTVS hanc tantam in se Dei æqualitatem, non arbitratus est rapinam facere, noluit ea per modum rapinæ uti. Primo, quia non acceptauit rapinam illam, dum cognouit ꝙ rapturi erant ipsum ut facerent regem, Ioan. 6. Sed humili habitu se gerebat, & regnum suum non esse de hoc mundo uoluit. Et ad hunc discursum capitis 5. & 6. respicit Paulus.

Secundo, non arbitratus est rapinam, ut raptis sibi duodecim legionibus angelorum, se contra Iudæos uiolenter defenderet, sed humiliter pati uoluit.

Hæc igitur est æqualitas, quam existens in forma Dei, habebat, æqualitatem uirtutis Dei in se habebat, scilicet, ratione potestatis sibi ad Dei æqualitatem datæ, dicto cap. 5. Quia inuentus est Deus per uirtutem, sicut homo per carnem. Et omnia quæ habet pater sua sunt, & per eum fiunt omnia quæ Verbo Dei efficiuntur, cum ipse sit Verbum Dei. Et ita de æqualitate uirtutis dixit, quòd erit filius hominis sedens à dextris uirtutis Dei, Lucæ 22. & eum à dextris uirtutis Dei uidit Stephanus Act. 7. Et istam æqualitatem & ad dexteram Dei exaltationem declarat Paulus Ephes. 1. non de re illa, sed de CHRISTO dicens, eum constitutum super omnem principatum, potestatem, uirtutem, & dominium, & omne quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerumetiam in futuro. Deniq; omnia subiecta esse sub pedibus illius, atq; eum datum super omnia caput ipsi Ecclesiæ, qui omnia in omnibus adimplet. Similiter æqualitas uirtutis Dei in eo notatur. Daniel. 7. Ecce filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruenit, & data est ei omnis regia potestas. Et Hiere. 30. de eo admiratur, Quis est ille qui ita accedit & applica-

tus

tus est Deo, ut usq; ad æqualitatem sibi appropinquet. Et hæc est mera ueritas, ut Ioseph constitutus sit æqualis Pharaoni, licet pure loquendo dicat, Pharao maior me est.

Item, Paulus non dixit esse duas res & unam naturam: uel quòd secūda illa persona sit æqualis essentiæ cum prima. Nam si Paulus intellexisset q; secunda illa persona sine rapina se esse æqualis naturæ cū prima arbitrabatur, quare non dixit, æqualem eam esse primæ personæ, & non Deo, nam uiuus est sermo Dei, & ibi quid distinctum à Deo notat. Quorsum etiam miscuisset de rapina sermonem? quæ potuit esse rapinæ suspitio in eo qui est eadem res, eadem natura, friuole nanq; locutus esset Paulus. Item, quis non uidet uocabulum, arbitrabatur, esse penitus humanum? quis non uidet latrocinij arbitramentum, profane rebus illis attribui? Item, audi q; dicit in forma Dei constitutus, qualiter dixisset secundam personam habere speciem Deitatis, si est ipsamet deitas & natura, si æque proprie omnino, & æque per naturam est Deus, sicut prima persona? Inepte locutus est Paulus, mentitus est qui patrem se maiorē dixit, nam sine calumnia loquendo, per relationem ad filium est ibi maioritas, q; ex uoce pater, & ex relatiuo, Me, constat, deberes etiam, si Metaphysica sit

Retorquetur argumentum multis modis

æqualitas, æque facile & æque proprie concedere q prima persona est pater Dei, & est æqualis filio, si cut econuerso, quod tamen scriptura abhorret. Item, pōderes sequelam dictorum Pauli, quapropter deus summe illum extulit, relatio enim est ad illum qui arbitrabatur. An ergo secunda illa persona sit ita uehemēter exaltata, quia se humiliauit. Ridiculum enim puto dicere, q Dei natura se humiliet. Item, ut dixi, Pauli scopum consyderando, infringitur Theophylacti cæcitas, nam Paulus ibi non de natura CHRISTI, sed de eius specie agit. Qualiter ergo ex hoc concludi potest illa naturæ æquipollentia? Item, capias ibi ἴσα græce loco aduerbij æqualiter, nam dictio æqualiter nō naturam, sed dispositionem notat, & æqualiter secundum uirtutem se Deo efferre potuit, qui pollicetur se posse facere omnia quæcunque pater faciat.

Resolutio infallibilis ueritatis, hæc est, quod in specie Dei constitutus, habens Dei uirtutem, non in rapinam putauit, æqualiter esse Deo, non arbitratus est, ut ea Dei uirtute ad rapinam uteretur. Nam uere rapina fuisset, si ab eo opere se uiolenter abdicasset, ad quod pater eum destinauerat, aut si regiam huius mundi tyrannidem sibi occupasset. Et hæc est propria significatio uocis ἁρπαγμός. Nam

CHRI-

CHRISTVS nunquàm harpagare curauit, nunquàm aliquid ab aliquo uiolenter rapuit. Hanc sententiam illustrat græcus articulus τὸ, quasi dicat, hoc ipsum quod esset æqualiter Deo. Hãc in se Dei æqualitatem, non arbitratus est ut rapinam faceret. Nec Paulus facit capitale de uoce æqualiter, ut quidam uanissime putant. Sed hoc per sequelam ex specie deitatis infert, inquit enim, ꝙ in specie Dei constitutus, non arbitratus est τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, non arbitratus est illud esse æqualitatis, non arbitratus est illam æqualitatem (quam scilicet in forma Dei constitutus habebat) rapinam facere. Et hic sensus ex dicto capite 5. est clarus, nec potest hic de alia æqualitate agi, quàm ibi agatur. Nam cum ibi de eius cum Deo æqualitate ageretur, eam CHRISTVS non negauit. Immò in se esse facto demonstrauit, licet ea, non quasi tyrannus aut gygas ad rapinam usus est, sed humiliter se gerebat, seruili hominis habitu, factus obediens usq; ad mortem. Quod dicitur formam seu speciem serui sumpsisse, hoc ideo dicit, ut distinguat à forma Dei de qua dixerat, nam utrobique ponitur μορφὴ, & significanter dixit, ut maiorem humilitatem exprimeret, nam utraq; specie pollens humiliori usus est, non specie & fortitudine Dei, sed quasi unus de hominibus, & dicitur habitu repertus ut ho

mo, ſicut dicit Pſalmiſta, ut homines moriemini, licet dij ſitis, Pſal. 81. Et Samſon quia fortiſſimus, quaſi nō homo, ſed plus quàm homo, dixit, Ero tunc debilis, ſicut homines, Iudicum 16.

Ecce uniuerſos ſcripturæ locos, qui de æqualitate loquantur, à noſtri ſeculi pugnis multum remotos, & quæſtio de æqualitate uel inæqualitate naturæ Apoſtolis fuit incognita.

Nominum diuinitatis ignorantia philoſophos decepit.

Quidam tamen æqualitatem naturæ philoſophantur, quia æquali uoce dictum eſt, Dixit Dominus Domino meo, Pſal. 109. Sed iſtis parcendum eſt, nam originalem ſcripturæ ſanctæ linguam ignorantes, ſeipſos ignorant. Tu tamen ſi hebraice noſti, inuenies prophetā dicentē נאם יהוה לאדני. Manifeſte etiam de CHRISTO dicitur, Adon, Malachiæ 3. Et hæc prophetia de ſedendo à dextris, ut probatur Hebræorū decimo, impleta eſt in CHRISTO Marci ultimo. Philoſophi tamen alias in ſeculorum æonibus ſeſſiones effingunt. Item, ex uerbis CHRISTI hoc eſt per ſe notum, nec de nomine יהוה ſibi attribuendo contendit. Tunc enim facilis in eum fuiſſet Iudæorum reſponſio.

Summa ſummarum, ut ſcias quò tendat animus meus, excepto illo unico Ioannis uerbo, dico uniuerſas ſcripturas à prima uſque ad ultimā loqui de homine

mine ipſo CHRISTO, & uerbum illud Ioannis non loquitur de eo quod eſt, ſed de eo quod erat, errorq́; latet in non intelligendo quid illud fuerit, & quomodo ſit caro factum. Nec te ſeducant imaginationes tuæ, ſed hoc in uiſceribus cordis reponas, quod in uniuerſis ſcripturis homo ipſe CHRISTVS loquitur, & in illum ſemper dirigantur cogitationes tuæ, deum oro, ut tibi det hilarem animum ad audiendum, & ego reddam tibi (ſecluſa omni calumnia diſtinctione, & æquiuocatione) ſcripturas planiſſimas, & Deum ipſum tibi ante oculos ponam, modo in faciem CHRISTI ſemper reſpicias.

Non eſt in Euangelio una litera, quæ de Mathematico illo filio loquatur.

DE SPIRITV SANCTO.

TErtiam rem abſolutam ab alijs duabus uere & realiter diſtinctam adinuenerunt philoſophi, quam, tertiam perſonam, ſeu Spiritum ſanctum appellant, & ſic trinitatem imaginariam, tres res in una natura machinati ſunt. Sed re uera tres res, tres dij, aut unus tripartitus ſub colore et nominibus unitatis nobis inculcantur. Super quo recentiorum audi ſententiam, quam ponit Ioannes Maioris, in ſuis ſententijs, libro primo, diſtinctione 4. in ſolutione 6. argumenti. Apud eos enim expeditiſſimum eſt, captis abſolute uocibus, tres eſſe res, quas abſolute, ſim-

pliciter, uere & realiter, ita differētes seu distinctas dicunt, ut una nascatur ex altera, & alia suffletur ab alijs, et omnes illæ tres intra dolium unū reclusæ.

Ego tamen, quia personis abuti nolo, primam rem, secundam rem, tertiam rem, eas uocabo: nam in scripturis nullū aliud nomen eis inuenio, & de personis quid sit proprie sentiendum, dicam postea. Concedētes igitur illas tres, quas suo more personas appellant, ab inferiori ad superius arguendo, Plures res, plura entia, plures essentias, plures substantias, plures Vsias, absolute concedunt, & ex consequenti uoce Deus absolute capta, plures eis erunt Dij.

Quod si ita est, quid culpantur Tritoitæ, qui tres deos dicunt, nam & isti tres deos, aut unum tripartitum moliuntur. Illi tres eorum dij unam compositam Vsiam faciunt, & licet compositionis uerbo aliqui uti nolint, tamen constitutionis uerbo utuntur, & Deus constituitur ex illis tribus rebus. Clare ergo nos Tritoitæ sumus, & nobis tripartitus est Deus, Athei, hoc est, sine Deo, facti sumus. Nam statim quod de Deo cogitare uolumus, ad tria simulachra diuertimur, ut nulla in intellectu remaneat unitatis ratio. Modo quid aliud est, sine Deo esse, quàm de Deo cogitare non posse, obiecta semper intellectui nostro imminenti quadam trium rerum confusione.

ſione, à qua ſemper quod de Deo cogitamus, de=mentamur.

Et uide, quàm uiriliter Deum unum defendunt, Nam & ſi conceſſerint omnimodam & abſolutam Rerum & Entium pluralitatem, & ex conſequen=ti plures Deos abſolutos, eſt tamen eis unus Deus connotatiuus. Dicunt enim, ut ibidem refertur, eas uoces ſecundum eorum uſum, ſeu potius abuſum, non capi abſolute, ſed factitio quodam ſophiſti=co & connotatiuo modo. Videntur in alio mundo uerſari dum talia ſomniant, nam regnum cœ lorum non nouit illas tricas, & alia eis ignota uia de Spiritu Sancto ſcriptura loquitur.

Sed quia altiorem hæc res quærit indaginem, ad ſequentes libros differatur. Mire nanque & quaſi incomprehenſibiliter de hac re agit ſcriptura, præ=cipue apud eos, qui peculiarem eius loquendi con=ſuetudinem non norunt, nam per Spiritum ſanctum nunc ipſum Deum, nunc angelum, nunc ſpiritum ho minis, inſtinctum quendam, ſeu diuinum mentis fla=tum, mentis impetum, ſiue halitum intelligit, licet aliquando differentia notetur inter flatum & Spi=ritum. Et aliqui per Spiritum ſanctum nihil aliud in telligi uolunt, quàm rectum hominis intellectum & rationem. Et apud Hebræos רוח nihil

aliud nisi spiraculum seu flatum significat, quod in differenter uentus & spiritus dicitur, & apud Græcos πνεῦμα pro quocunq; spiritu & mentis impetu capitur: nec obstat quod spiritus dicatur sanctus, nam omnes illi animi motus, dum CHRISTI religionem concernunt, sancti dicuntur, & Deo sacrati, quia nemo potest dicere Dominum IESVM nisi in spiritu sancto.

Superest ad aliquos scripturæ locos respondere, ex quibus Moderni tres illas res philosophari posse putant, ut 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Ad quod, ut plenius satisfaciam, respondebo prius ad duos alios scripturæ locos, quos etiam ad hanc rem probandam inducunt, Ioannis 10. Ego & Pater unum sumus. Et Ioan. 14. Pater in me & ego in patre.

Primum inducit Augustinus contra Arrium, quia dixit Vnum, & contra Sabellium, quia dixit, sumus. Ex quo duas illas res contra Sabellium, & unam naturam contra Arrium concludit. Ego tamen simpliciorem sensum illa uerba facere puto, nam CHRISTVS loquitur & dixit, sumus, quia Deus & homo, dixit unum, ut aduersus Praxeam inquit Tertullianus, & non dixit, Vnus, nam Vnus singularis numeri

meri significatio uidetur, quasi singularitatem unius & eiusdem rei notans. Vnum uero neutraliter, non ad singularitatem, sed ad unanimitatem & concordiam pertinet, ut duo crederentur in una uirtute. Et hoc est quod antiquiores unam usiam recte dixerunt, quia est una potestas à patre filio tradita. Posteriores tamen uocem homusion, sicut & hypostasim, & personas pessime subsannarũt, de Vsia naturam facientes, non modo contra uocabuli proprietatem, sed contra omnes scripturæ locos in quibus illa uox reperitur, nam Ioan. 17. & Matthæi ultimo, & ubiq; de potestate sibi à patre tradita loquitur Christus: ponitur dictio Vsia, quæ Græcis non significat naturam, sed facultates, opes, fortunas, diuitias & potestatem, quæ omnia in CHRISTO sunt opulenter, & eius cum patre est una potestas, unus consensus & uoluntas. Et tam Latinis Vnũ quàm Græcis ἕν, unanimes, conformes, & omnes idem sapientes comprehendit, & capere in scripturis Vnum pro una natura, est potius Metaphysicum quàm Christianum, imò extra scripturas, Græcia nunquàm nouit ἕν pro una natura capi. Si dicas, Quomodo ergo doctores Græci ita capiunt? Respondeat ad hoc Magnus Basilius contra Eunomium libro 4. Vbi nõ ex propria significatione id esse dicit, sed philoso

phando syllogizat. Nobis igitur uocabuli interpretationem, aut ex propria significatione, aut ex alijs scripturæ locis oportet accipere: quod tamē Vnum in scripturis importet illam Metaphysicam naturæ unitatem, nusquàm reperies, imò oppositum, ut apparet ex ipsiusmet CHRISTI uerbis, qui tanquā fidelis magister seipsum declarat Iohannis 17. Orat enim patrem pro Apostolis, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & sint unum, sicut & nos unum sumus. Repetita sæpe uoce, eos unū esse orat. An propterea sequatur, ꝙ nos, qui ad similitudinem eorum unum sumus, constituamus unam naturam. Certe unum sumus, quia sumus unanimes, seruantes unitatem spiritus in uinculo pacis. Item, Hiere. 32. Dabo eis cor unum, & uiam unam. Et Acto. 4. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Et iuxta huius dicti intelligentiam, aliud dictum intelligi expresse uult Origenes contra Celsum libro octauo, Pater, inquit, & filius unum sunt, quos constat duas res esse substantia, unam uero consensu conuenientiaq; & uoluntatis identitate.

Erasmus etiā in annotationibus ita exponit.

Similis uidetur esse intellectus apud Cyprianum in epistola ad Magnū, & Paulus ad Galat. 3. ex unitate fidei concludit nos unum esse. Et 1. Cor. 6. Qui adglu-

adglutinatur Domino, unus cum eo spiritus est. Tamen de una natura nunquàm cogitauit. Imò etiam si dixisset, Ego & pater non sumus duo, sed unum, nihil concluderes, nam Vir & Fœmina non sunt duo, sed una caro, tamen ex hoc non philosophatur una natura. Si dicas non oportere, quòd in illo Ioan. 17. sit omnimoda similitudo, quod æque proprie Apostoli dicantur unũ esse, sicut filius & pater unum sunt. Ad hoc uere dicis, non esse omnimodam, sed tu nullã ponis, cum aliqua sit: & non esse omnimodam similitudinem est indubitatum, nam ipse solus est in sinu patris, simul cum patre est una uirtus, eadem deitas & potestas. Ideo excellentiore longe modo dicitur ipse esse unum cum patre, præcipue apud eos qui Verbi Sacramentum norunt, tamen non propterea sequitur, ꝙ mathematicam illam naturæ unitatem ex illo concludas, nam illa est una philosophica imaginatio multum separata, & in sacris literis non expressa. Tunc etiam inepta & disparata esset CHRISTI assimilatio, ut ipsi sint una natura, & nos concordes, & dicat, Vnum sint, sicut nos unum sumus. Item, CHRISTI sententiam alia coniectura percipies, si non capias cruda & indigesta uerba, sed dicti ordinem & causam notes, nam CHRISTVS adiecit se esse unum cum patre. Ad probandum, ꝙ

nemo potest rapere oues de manu sua, quia pater eas dedit ei, & si nemo potest eas rapere de manu patris, sequitur, q nemo poterit eas rapere de manu sua, quia ipse & pater sunt una uirtus, & de consensu patris tenet eas.

Ex his declaratur alter locus Ioannis 14. Pater in me, & ego in patre. Super quo tamen ipsi hallucinantur. Nam Hilarius libro quarto de trinitate dicit, q natura intelligentiæ humanæ, rationem huius dicti non capit, et proportionabiliter alias res in alijs esse concludit dicens, q singulæ sunt in singulis, prima in tertia, & tertia in secunda, & ediuerso. Sed mirandum, cur suo sensu alienari se permittit, & magistri interpretationem non respicit. De solo uento prodest CHRISTVM dici magistrum, si eius interpretationes non animaduertamus. Eodem enim capite 14. dicit CHRISTVS ad Apostolos, Ego in patre, uos in me, & ego in uobis. Tamen Apostoli nõ sunt cũ CHRISTO illo modo inculcatiue in una natura: Item, quod fortius est, ibidem & capite sequenti se declarat CHRISTVS dicens, q est in nobis dum uerba eius obseruamus, & ipse est in patre, quia præcepta eius seruat & diligit. Item, adhuc fortius ibidem & Ioannis 10. Ex eo q facit opera patris, infert se esse in patre, dicens, Propter ipsa fa-

cta

cta credite mihi ut cognoſcatis & credatis quod pa ter in me eſt, & ego in patre. Videat Hilarius qua= lis erat Magiſtri dialectica, quomodo ex operibus in fert CHRISTVS illam Metaphyſicam naturarũ, ſeu rerum unius naturæ inhærentiam. In prædicto etiam capite 10. 17. ſe declarat CHRISTVS, & eadem quaſi ratione dicitur eſſe in patre, qua dixe= rat ſe eſſe unum cum patre, inquit enim, Sicut tu pa ter in me, & ego in te, ita ipſi in nobis unum ſint, & dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Et Ioan. 6. CHRISTVS in nobis manet, & nos in illo. Et Epheſio. 3. ex fide & charitate concludit CHRISTVM in nobis eſſe. Et 1. Ioan. 2. ex cha= ritate infert quòd in ipſo ſumus. Et cap. 3. Qui ſeruat præcepta eius, in illo manet, & ipſe in eo.

Ex his facile ſoluitur principalis ratio. Primo te= ſtificatur pater, Quia qui miſit me pater, teſtimoniũ perhibet de me, teſtificatur enim dicẽs, Hic eſt filius meus dilectus. Secũdo teſtificatur Verbum, quia ipſe CHRISTI ſermo ſatis declarat eum ex Deo eſſe, ut ipſe de ſe ipſo teſtatur. Ex uerbis potiſſimũ quan= tus ſit ille cognoſcitur, licet mundus hodie friuola & inefficacia uerba CHRISTI faciat. Sed dato ſpiri= tu cognoſcentur eſſe uiua.

Tertio teſtificatur Spiritus Sanctus, hoc quid ſit

taceo, libro ſequenti expoſiturus. Et uidebis quid aliud poſſe intelligi per paracletum illum: pronunc dico, ut Ioan. 14. & 15. declarat CHRISTVS, nã me præſente, ſermo quem audiſtis, ſeu uerba quæ ego loquor, teſtimonium dant: poſtea uos cum induti fueritis uirtute ex alto, ut Lucæ ultimo dicitur, teſtimoniũ perhibebitis: & accepta per ſuperuenientem ſpiritum hac uirtute, iuſſit eos teſtificari, Act. 1. Et hoc eſt teſtimonium ſpiritus ſancti, ſicut teſtimonium conſcientiæ ſuæ teſtimonium ſpiritus ſancti uocat Paulus. Roma. 9. Et hi tres unum ſunt, ut eſt ſupra declaratum, & ipſamet Gloſa Ordinaria exponit, Vnum ſunt, id eſt, de eadem re teſtantes. Mens enim Ioannis eſt ex conformitate teſtium efficatiam ueritatis oſtendere, quia non uacillant ſeu uariant eorum teſtimonia, ut exceptione aliqua recuſari poſſint, ſicut in teſtibus uarijs fieri iure ſolet. Præterea Matthæi 17. dicit una gloſa, Videas Moyſen & Heliam colloquentes IESV. Lex enim & Prophetæ & IESVS unum loquuntur & conſonant. Tres ergo ibi teſtificantur ipſum Verbum, CHRISTVS ipſe, & Moyſes, id eſt, lex à patre data: & Helias, id eſt, ſpiritus prophetarum, quia teſtimoniũ IESV eſt ſpiritus prophetiæ, Apoc. 19. Et hi tres unum ſunt, & ſummus inter eos conformitatis conſenſus.

Item ex uerbis Magistri habetur declaratio, qui Ioan. 5. citat tria testimonia. Primo, testimonium spiritus, quia Ioannes descẽdente spiritu testificatus est. Secundo, testimonium suum, quia opera quæ ipse facit, testificantur. Tertio, testimonium patris testificantis adducit, & ista tria concordant.

Iam retorquere possumus argumentum, ostendentes dictum Ioannis nõ posse ad mentem illorum capi, quia est contra totum eius scopum & mentẽ, nam constat ibi agi non de natura illarum trium rerum, sed de fide & unitate testimonij. Item, uide ad quod propositum illa testimonia inducat, consydera quò tendat probatio Ioannis, non enim intendit Ideã ex Idea deriuare seu probare, quod secunda illa res sit filia primæ. Sed probat ipse q̃, IESVS ille Nazarenus quem oculi eius uiderunt, & manus eius contrectauerunt, sit filius Dei, & non filius Ioseph. Et ad hoc credendum nos hortatur, sicut astricte tenemur. Et qui non ita credit, non est Christianus: qui non ita credit, non est fundatus super illam petram, Tu es CHRISTVS filius Dei uiui, Matth. 16. Hæc enim est petra, à qua Petrus dictus est, petra super qua est primus petrus fundatus, fundamentum Ecclesiæ est credere IESVM CHRISTVM esse filium Dei, hic est angularis lapis, super quo omnis stru=

Lapis primꝰ Petrus, quia firmius & prius credidit Iesũ esse filium Dei.

ctura crescit in ædificationẽ corporis CHRISTI quod est ecclesia. Dices tu, CHRISTVS ipse est angularis lapis, sed q̃d, obsecro, est CHRISTVS in nobis, nisi credere ipsum esse filium Dei. Habitat enim CHRISTVS per fidem in cordibus nostris, Ephe. 3. Res inanis est dicere q̃ CHRISTVS de se sit petra, si id quod nos super petrã ædificat tollas.

Secunda authoritas, quæ secundum Petrum Lombardum in 1. sen. dist. 2. trinitatem euidentissime commendat, est ad Roma, undecimo, Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nam Aug. lib. 2. de Trinitate cap. 6. de illis tribus rebus exponit. Ex ipso, propter primam: per ipsum, propter secundam: in ipso, propter tertiam. Sed non credo Paulum, si de hoc fuisset interrogatus, ita philosophaturum, nam hoc esset contra morem suum, & impertinenter ibi de his ageret. Solum enim altitudines Dei patris admirator, & omnis philosophia quæ ibi colligi potest, est in illa particula, per ipsum. Nam cum alibi per Verbum, nunc per se ipsum dicat, colligitur, q̃ omnia quæ per Verbum operatus est Deus, per seipsum operatus est, de quo & Ireneus testatur, contra eos igitur secundum eum hunc locum facere indicabit liber sequens. Et Paulus nihil ibi aliud intendit, q̃ multiformes Dei dispositiones, & magnitudinem

Exponit Ireneus per uerbum, id est, per seipsum.

nem potentiæ eius commendare, ſicut quando dicitur, Ipſe eſt ſuper omnia, per omnia, & in omnibus, Ephe. 4. Eo magis, quia idem Apoſtolus 1. Corin. 8. in illa uocum triplicatione non comprehendit tertiam perſonam, Vnus, inquit, eſt Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & unus Dominus IESVS CHRISTVS per quem omnia, & nos per ipſum. Ecce illa tria ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, ubi nihil de tertia perſona meminit. Et idem Apoſtolus ad Coloſſenſes. 1. de ſolo filio dicit, Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.

Præterea ex farinæ ſatis tribus, tres illas res Hieronymus philoſophatur. Sed ualde friuolum eſt, & quid Platonicum ſapit, ex parabolis, ex numeris uocum numeros in rebus philoſophari. Si nobis hæc philoſophia permittitur, quid culpantur Marcus Calarbaſus & ſimiles, qui ex parabolis, ex literis & numeris uocum ſacræ ſcripturæ, terniones, quaterniones, & octonationes philoſophantur: ſimiliter Demiurgum, Bytum, Pleroma, et deniq; uarios Aeones ſyllogizant, ſolo nomine iſti ab illis uidentur differre, & ſicut illi ex riſu, ex lachrymis æonũ, res alias ex alijs ortas dicunt, ita nos dicimus, quod prima res ſeipſam intelligendo ſecundã producit, & quod illæ duæ ſe mutuo diligendo tertiam ſpirant. Vbi obſecro

hæc portenta in scripturis legisti? & ultra eos hoc terribilissimum addimus, quod tres illæ res inter se tam uarie una & eadem res.

Dicit præterea Lombardus, quòd singulæ penè syllabæ noui testamenti hanc trinitatem concorditer insinuant. At mihi non syllabæ, sed omnes literæ & ora infantium & lactentium, immò lapides ipsi clamant unum Deum patrem & CHRISTVM eius Dominum IESVM. 1. Timo. 2. Vnus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS. Et 1. Cor. 8. Nobis unus est Deus qui est pater ille, et unus Dominus IESVS CHRISTVS. Ioannes etiã, cui cœli in Apocalypsi fuerunt aperti, solũ uidit deum patrem, & CHRISTVM eius, & solus Deus & agnus ibi laudantur. Stephanus item apertis cœlis, uidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris eius, tamen tertiam personam non uidit. Et Matth. 23. Vnus est pater uester, & unus magister CHRISTVS. Et Ioan. 8. Ego solus nõ sum, sed ego & pater. Hæc uerba CHRISTI cum tanta emphasi prolata, me solent usq; ad uiscera penetrare. Non sum, inquit, solus, quia pater mecum est. Et non nouerunt patrem neq; me. Ioannis 16. Et capite 17. Cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.

Non

Nõ etiam iussit nos inuocare tertiã rem, sed patrem & se, & patrem in nomine sui. Similiter dum dixit, Nemo nouit patrem nisi filius, nec filium, nisi pater, dormiebat illa tertia res, aut horum cognitione carebat? Et 1. Ioan. 1. desyderat Ioannes nos habere societatem cum patre & cũ filio eius IESV CHRISTO. Tamen de societate cum illa tertia re non loquitur. Et 1. Ioan. 5. Obtestor te, inquit Paulus, in conspectu Dei, & Domini IESV CHRISTI, & electorum angelorum, ut hæc serues sine præcipitatione iudicij. Nota solennem Pauli protestationem fieri coram Deo CHRISTO & angelis, & nõ coram tertia illa re. Similiter Apocalypsis. 3. Confitebor, inquit CHRISTVS, nomen eius coram patre meo, & coram angelis. Nota grauem illius tertiæ rei iniuriam, q coram angelis dicat CHRISTVS, & non coram ea. Similiter de se solo & patre & angelis facit mentionem, Marci 8. Lucæ 9 & 12. Et Iohannes Apocalyp. 1. desyderat nobis gratiam & pacem ab omnipotenti Deo, & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, & à IESV CHRISTO qui est testis fidelis, tamen ab illa tertia re nihil nobis desyderat. Et Paulus in omnibus epistolis ait, Deus pater, & Dominus IESVS CHRISTVS, à Deo patre & Domino IESV CHRI-

STO. Frequensq; est in scripturis mentio de existentia Dei patris & filij, & de eorum uisione & adoratione, at de Spiritu sancto non fit mentio, nisi ubi est sermo de agendo, quasi per quandam accidentalem prædicationem, quod est notatu dignum, quasi Spiritus sanctus non rem aliquã separatam, sed Dei agitationem, energiam quandam seu inspirationem, uirtutis Dei designet.

Suam rerum triadem, post alios confirmat Lombardus per illud Exod. 3. Deus Abraham, deus Isac, deus Iacob. Si in bono sensu trinitatem diceret, tolerari posset, etiam si iste locus hoc non probet, sed probatur Matthæi 28. Baptizate in nomine patris, & filij, & sancti spiritus. In nomine patris, quia ipse est omnis doni primus, uerus, & originalis fons, Iacobi primo, In nomine IESV CHRISTI, quia per ipsum habemus recõciliationem doni huius, nec est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri. Acto. 2. Et in nomine sancti spiritus, quia omnes qui eo nomine baptizantur, sancti spiritus donum accipiunt. Sicut dicimus, In nomine magnificẽtiæ Cæsaris. In nomine gloriæ Dei. Et Petrus in recognitionibus Clementis, non dicit tres æquales res, sed trinã diuini nominis inuocationẽ, quia tres sunt admirandæ Dei dispositiones, in quarum qualibet diuinitas

relucet,

relucet, ex quo ſaniſſime trinitatẽ intelligere poſſes, nam pater eſt tota ſubſtantia & unus Deus, ex quo gradus iſti & perſonatus deſcendunt. Et tres ſunt non aliqua rerum in Deo diſtinctione, ſed per Dei οἰκονομίαν uarijs Deitatis formis, nam eadem diuinitas quæ eſt in patre, communicatur filio IESV CHRISTO, & ſpiritui noſtro, qui eſt templum Dei uiuentis, ſunt enim filius & ſanctificatus ſpiritus noſter conſortes ſubſtantiæ patris, membra, pignora, & inſtrumenta, licet uaria ſit in eis deitatis ſpecies, & hoc eſt quod diſtinctæ perſonæ dicuntur, id eſt, multiformes deitatis aſpectus, diuerſæ facies & ſpecies. Nec ab hac ſententia antiquiores diſtant Apoſtolorum traditiones, immò ſubſcribunt. Iam ad rationem, quòd in ea non notentur illæ tres res, ex eo probatur, nam dum loquitur Deus ad Iacob, dixit, ego ſum Deus patris tui Abraham & Iſac Gen. 28. & 32. Tamẽ ex hoc non potes inferre duas philoſophias. Et dum loquitur ad Iſac, dixit, ego ſum Deus patris tui Abraham Gen. 26. Item, ſi ibi tres illæ res intelligantur, quomodo dicetur, Deus Abraham, Deus Iſac, Deus Iacob pater IESV CHRISTI. Acto. 3. An illa imaginaria trinitas dicatur pater IESV CHRISTI. Nam ſicut prima hunc hominem genuit, ita & ſecunda, & ſic concedemus

Eſſentiam dicũt hodie illis tribus rebus communicabilem.

quòd filius Dei est pater IESV CHRISTI.

Intelligamus igitur seclusis his, quòd Deus ibi occurrit, ne Iudæi pluralitatem Deorum credant, nam ad istam pluralitatem (sicut & hodie nos ipsi) erant proni, & Iudæi pro numero ciuitatum soliti erant multiplicare deos. Hiere. 2. & 11. Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda. Et prouidens Deus ne iuxta numerum ætatum seu generationum hominum multiplicarent deos credentes, aliũ fuisse deum Abrahæ, alium Deum Isac, alium deum Iacob, eundem se deum omnium illorum dixit, ut ex uerbis quæ præmisit, ostendit, dicens, Ego sum deus patrum tuorum. Et ita solet ipse dicere, Ego sum ille deus qui eduxi te de terra Aegypti, & de Hur Chaldæorum. Et Exo. 6. dicit se esse illum qui apparuit alijs, Ego, inquit, sum deus qui uisus sum ipsi Abrahæ Isac & Iacob. Et Esa 48. Ego ipse, ego primus, ego nouissimus.

Secunda solutio, quæ ex uerbis Magistri colligitur, cum priori etiam conueniens est, quòd eo respectu dixerit se Deum Abraham Isac et Iacob, ut ostendat se non modo præsentium, sed etiam præteritorum Deũ. Nã ex hoc dicto probat CHRISTVS resurrectionem, si enim ipse sit Deus præteritorum, sequitur quòd omnes illi uiuunt, Lucæ 20. Ex quo

perpen

perpende quanta in uerbis legis lateat significatio, etiam si sensus literis uideatur esse planus. Mirabilem hic nobis dat doctrinam Magister, quā si animaduertas, ex lege tibi CHRISTUM infra clare probabo. Argumentum item, secūdum eorum interpretationes, si rectius cogites, retorqueri potest, nec ratio Spiritus sancti rem tertiam designat, nam ibi est apparitio ignis, quod dicunt esse quid proprium rationis Spiritus sancti, sicut & apparitio columbæ, Matthæi & Lucæ 3. tamen, audi uocem, Tu es filius meus dilectus. Ego sum Deus patrum tuorum. Quæ uerba non aptantur ad rem tertiam distinctam: similiter, sicut scribitur, Spiritus sanctus locutus est, ita etiam Deus locutus est per os sanctorum & prophetarum, Acto. 3. & Hebr. 1. Non ergo distinctæ rei, sed ipsi deo, ea quæ sunt rationis Spiritus sancti, possunt accidentaliter attribui, quia Deus spiritus est. Et sanctus sum ego qui sanctifico uos. Nec uox paracletus est peculiare nomen illius tertiæ rei, nam Christus ipse dicitur paracletus, 1. Ioan. 2. Dumq; dicitur alius à CHRISTO paracletus, & CHRISTUS ipse paracletus esse ibi notatur, & alius eo dixit, quia tunc ab ipso uerbo, ab ipso CHRISTO eum in dies audiendo consolabantur, & ipse eis patrocinabatur. Postea uero non ab ipsa Verbi præsentia,

sed spiritus patrocinium habebunt, & spiritu conso labuntur ueritate eis reuelata. Præterea non tertia illa res, sed Deus est qui unxit nos. 2. Cor. 1. Et spiritum Dei in uobis manere, nihil aliud est nisi quod unctio, quam ab eo accepistis, manet in uobis, & illa est quæ docet uos de omnibus. 1. Cor. 2. Et accipere spiritum sanctum nihil aliud est, nisi quòd superueniente in uos cœlesti nuncio uirtutem ex alto accipietis Lucæ 24. & Acto. 1. Et quod talis uirtus non sit res separata, probatur Marci 5. & Lucæ 8. Vbi nouit IESVS in semetipso uirtutẽ à se exisse. Dic si potes, quæ est entitās illa, seu res quæ ab ipso prodijsse dicitur. Nam simili modo dicam, ego de alia cœlesti uirtute. Item quòd Spiritus sanctus nõ possit absolute rem tertiam designare, sed quod secundum accidens dicatur, ex eo probatur, quia Spiritus sanctus dicitur augeri uel minui. Nume. 11. dixit Dominus ad Moysen, Auferam de spiritu tuo, & iterum auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta uiris. Et 4. Regum 2. fiat in me duplex spiritus tuus. Item, quia non ad mensuram dat Deus spiritum Ioan. 3. Et Daniel. 6 Spiritus Dei amplior erat in Daniele quàm in alijs. Item, quid est quod Apostoli totiens replebantur spiritu sancto, Acto. 2. & 4. An illa tertia res pluries ueniebat ad eos, se eis carnali-

ter uniens? Vere nihil aliud est nisi quod audiendo ardebant Apostoli, & summo fidei & charitatis feruore Pharisæos arguebant & hortabantur. Et Iohannem repleri Spiritu Sancto iam ex utero, nihil aliud est nisi quòd uirtute diuina exultauit infans in utero matris, Lucæ 1. Nec ex hoc inferre uales, quod illa tertia res fuerit ei illo modo unita. Hoc enim est plus quàm carnale & prophanum, & pari ratione concluderes quòd spiritus Heliæ erat ei unitus, quia dicitur eum uenisse cum spiritu & uirtute Heliæ. Item, quid est dic tu, affligere spiritū sanctum, & spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt, an tertia illa res afflictionem patiatur? Item dare spiritum indicat esse idipsum quod dicitur, Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum, & dat nobis intellectum. Et, ut inquit Ioannes, Dedit nobis mentem ut cognoscamus ipsum, sicut & Salomoni datum est cor sapiens, & datur spiritus sapientiæ, spiritus consilij, spiritus scientiæ & pietatis. Verum, quare ex his dicatur in nobis esse spiritus Dei sanctus, dicam in sequentibus. Pro nunc consydera quod proprium dei est, & ei per antonomasiam conuenit esse sapientem, sicut esse fortem, iustum, misericordē. Ideo deus communicando nobis illa dona, dicitur dare nobis spiritum suum, ea enim ratione illæ uirtutes solent

exemplares uocari, quia sicut earum ἰδέαι *in* Deo *relucet, ita eis in nobis relucentibus, dicitur exemplar* Dei, *seu spiritus eius sanctus in nobis esse: & non solum quum dantur talia dona, sed eo solo, quia dat flatum uitæ, dicitur dare nobis spiritum suũ,* Ezechielis 37. *Item, quod spiritus sanctus non sit res distincta, ex eo probatur, quia dicitur spiritus* CHRISTI, *& spiritus filij* 1. Pet. 1. *&* Gal. 4. *Similiter* Roma. 8. *Spiritus* Dei *habitat in uobis, si quis autem spiritum* CHRISTI *non habet, hic nõ est eius. Quod si spiritus eius, scilicet patris, qui suscitauit* IESVM *&c.* Propter *quæ uerba* Hilarius *libro* 7. de Trinitate, *per spiritum sanctum, aliquando patrem, aliquando filium, aliquando tertiam rem, importari dicit.* Et *per consequens confusa sunt inter eos hæc trium rerum nomina.*

Sunt aliæ rationes quibus multi etiam per syllogisticam euidentiam, seu per demonstrationem trinitatem concludi dicunt, ut Ricardus *lib.* 3. *de* Trini. *capite* 2. Ex *charitatis proprietate euidenti demonstratione concludit, quòd pluralitas in* Deo *deesse non possit.* Nam *si dilectio est, in alterum est, id est, in filium.* Et *si dilectio est, iam ipsa dilectio aliquid est, ergo tertia persona est.* Similiter Henricus *de* Gandauo *in quolibeto.* 6. Quæstione 2. Ex *quacunq; in*

his

his inferioribus generatione, per mediū intrinsecū de necessitate concludit, esse inter deos generationes, quia in patre est solum noticia speculatiua, & in filio practica, & in eis non est amor impulsiuus, sicut in tertia persona, & per consequens unus sine alio nihil potest, nisi inter se copulentur & generent. Alias huius farinæ rationes quàmplurimas consultus relinquo, & pro solutione omnium quæ à philosophis hic adduci possent, istā regulam teneas quæ est Iurisconsulti in L. Item apud §. ait Prætor. ff. de iniurijs, quòd ea quæ speciali nota sunt digna, nisi specialiter notentur, neglecta esse intelliguntur. At si articulus iste sit speciali nota dignus, cum sit primum totius fidei fundamentū, à quo & Dei & Christi cognitio pendet, ipse dijudica, & an sit expresse notatus, ex scripturarum lectione dignoscitur, cum nec unum uerbum reperiatur in tota Biblia de trinitate, nec de suis personis, nec de essentia, nec de unitate suppositi, nec de plurium rerum una natura, nec de alijs corū cenophonijs & logomachijs, quas Paulus falsæ agnitionis esse ait.

Superest, ut aliquibus rationibus & authoritatibus tres istas res in uno Deo stare non posse ostendamus. Primo triadem hanc imaginariā impugnare possem 15. rationibus, quas ponit Robertus Holcot

in primo senten. distinct. 5. ad quarum nullam bene respondet, nec respondere potest nisi sophistice, immò articulum hunc contra omnem rationem naturalem esse concedit. Vide etiam præludia Petri de Aliaco libro primo, quæstione quinta. Sed aliter pro nunc propositum ostendo, & non solum tres illas res in uno Deo stare non posse probo, sed etiam inimaginabiles esse, & de eis noticiam haberi omnino impossibile, nam habens noticiam trinitatis, haberet noticias distinctas illarum trium rerum, & sic staret habere noticiam unius, non habendo noticiam alterius, quod omnes negant. Dices, aliquem habere noticiam trinitatis, quia habet noticiam Dei connotando quod sit tres illæ res. O solidam sophistarum columnam, qualiter obsecro uis, fide nos obligari, ad id, de quo tuus Aristoteles nunquàm fuit certus. Est ne æquum, quòd nostra tantæ certitudinis fides ab incertis illis connotationibus pendeat? Quomodo scis? quis tibi has connotationes reuelauit? immò ut clarissime alibi monstrabo, nulla est talis uarietas in intellectu, licet in uocibus reperiantur illi Nicandri, aut saltem cum hoc non sit omnino certum, non potest fides in his esse fundata. Item secundum tuam sophiam, quomodo potest aliquid connotari per illum terminum album, quin per alium terminum abstractum

ctum albedo possit illud absolute importari, & ita de alijs concretis rem certam connotantibus, aut dices hic solum connotari dispositionem. Est etiam regula Porphyrica, quod à quacunq; conuenientia essentiali abstrahibilis est conceptus absolute & incomplexe significans. Item iuxta eorum regulas quærerem, an CHRISTO & angelis sit ignota trinitas? An in anima CHRISTI in angelis tres trium rerum noticias ponant, & sic tres deos distincte cognoscant. CHRISTVS enim Matth. 18. dicit, quòd angeli uident faciem patris sui, sed alias machinas non uident. Similiter CHRISTVS in seipso nihil aliud nisi patrem uidebat, nec hodie in cœlo aliud uidet. Somnia quantumcunq; uelis, dirige oculos ad phantasmata, & reperies quòd trinitas non est intelligibilis sine tribus phantasmatibus, quia necesse est intelligentem phantasmata speculari 3. de anima. Immò quaternitatem intellectu colis, licet uerbo neges. Nam quatuor habes simulachra, & quartum est circa essentiam phantasma, quia necesse intelligendo essentiam phantasmata speculari, & uisis his quæ de formatione noticiæ alibi dicam, clare cognosces. Et nunc etiam, si aduertas, cognoscere potes, quod tua trinitas nihil aliud est nisi quidam in imaginatiua specierum motus qui dementatum te tenet.

Si dicas, omnes una uoce clamant, quòd sufficit credere, licet res non sit intelligibilis. Et in hoc stulticiam tuam pandis, quod rem non intelligibilem sine sufficienti scripturæ testimonio admittis, non intelligentes, inquit, quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant, & in his quæ ignorant blasphemantes: eo magis, quia ipse fateris obiectum fidei esse ipsam intellectionem, modo, si fidem habes, dic mihi quæ est illa tuæ capacitatis intellectio? Quid est id quod à te intellectum credis? an forte ipsam cerebri confusionem pro sufficienti fidei obiecto reputas? Item nihil potest esse in intellectu, quin secundum se, uel aliquid simile, uel proportionabile, prius fuerit in sensu, primo Poste. & 3. de Anima Sed de tribus rebus unam naturam constituentibus, nec de prope, nec de longe unquàm habuisti sensationem: nec aliquos gradus ad alios comparare potes, cum nec duæ, nec tres, nec plures res, in unam naturam concurrentes reperiantur, & per consequens non reperitur fundamentum sensu perceptum, unde talem noticiam intellectus syllogizando concludat, immo fatigatur & confunditur eo ipso quod circa illud speculari contendit, quasi super uento sine fundamento sensus ædificans. Item, imaginemur solam personam patris esse, ut aduersarij facile admittunt, dum personas

ab

ab essentia formaliter distinguunt, tūc quæritur, cum cuilibet rei conueniat propriam habere essentiam, & propriam naturam, qualiter imaginari potero multiplicationem rerum sine multiplicatione essentiæ, & quod noua res accedat & non noua essentia? An per sensum ista uel similia aliquando perceperis? certe non, ergo non per intellectum talia percipere speres.

Non solum rationibus, sed authoritatibus innumeris pluralitatem hanc euitare docemur, atq;, nisi delirus forte uiderer, omnia gentilium, philosophorum, poetarum, & Sybillarum testimonia, à Lactantio Firmiano citata, in medium adducerem, ut inde cognosceres quantum ludibrio esses, si eis tres tuas res pro uno deo uenderes. Sed ex sacris literis rem demonstremus tam ex ueteri quàm nouo testamēto. Matthæi 19. Vnus est bonus Deus. Marci. 10. Nemo bonus nisi unus Deus. Nonne ergo solo nomine unitatis contenti sunt, qui re ipsa unum non agnoscunt, & facticia sua uocali essentia ad rerum pluralitatē se diuertunt. Et ne quem hic calumniari permittas, aduerte, quod filius est qui loquitur, ex quo omnem unitatis Dei rationem in solo patre esse constat: & q̄ nō sit nisi Deus pater & filius IESVS CHRISTVS, est textus urgens 1. Cor. 8. Vnus, inquit, est

Deus, qui est pater ille, & unus Dominus IESVS CHRISTVS. Et Ephe. 4. Vnus est Deus & pater. Nescio quæ sit hominum amentia, quæ non uideat omnem unitatis Dei rationem, semper ad patrem in scripturis referri. Et 1. Timoth. 2. Vnus enim Deus & unus conciliator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Item, quum Apostolus totiens de uno Deo & CHRISTO eius loquitur, & quòd Deus ille est pater IESV CHRISTI, & quòd CHRISTVS IESVS est mediator, & quòd per eum habemus accessum ad Deum. An intelligendum putes quòd prima illa res sit pater secundæ, & quòd per illam secundam rem habemus accessum ad primam. Item, quãdo Ignatius, Ireneus, & alij antiqui disputant cõtra hæreticos, quod Deus ille omnipotens qui erat Deus ueteris testamenti, Deus Legis & Prophetarum, est etiã Deus noui testamenti, & quod ille idem est pater IESV CHRISTI, an intelligendum putes quòd tres illas separatas res illi prædicabant. Similiter Tertullianus, etiam si aliquando sibi non constare uideatur, tamen clarissimas ueritates multas ex Apostolica traditione prædicat. Itẽ, licet sit liber apocryphus, est tamen antiquus, nempe Recognitiones Clementis, ubi etiam idiotis planissime CHRISTVS prædicatur.

dicatur, multiplicemq́; ibi illius antiquæ simplicitatis reperies odorem. Sed ne super incertis ædificem, omitto, referam tamen uerba Ignatij ad Philippenses, Si quis, inquit, Deum Legis & Prophetarum unum prædicauerit, CHRISTVM autem negauerit esse filium eius, mendax est. Si quis etiam confitetur CHRISTVM IESVM, negat autem deū Legis & Prophetarum patrem esse CHRISTI, hic in ueritate non stat. Et in epistola ad Tarsenses clare de CHRISTO inquit, quòd ipse, non ille qui est super omnia Deus, sed filius ipsius. Immò, ut Iustinus Apostolorum discipulus ait, CHRISTO ipsi non fuisset adhibita fides, si rem aliam Deum esse dixisset, præter factorem, fabricatorem, & patrem omnium. Habes etiam apud Ireneum libro primo, capite 28. Hæresim fuisse Cerdonis, quod יהוה ille qui in Lege in Prophetis annunciatus est esse Deus, non sit pater IESV CHRISTI. Vide ibi & capite sequenti, & scrutare quæ est causa quòd illi modi loquendi in Trinitarijs nostris non reperiuntur?

Hæc sola ratio est ualidissima, si bene cogites, q totus Irenei liber est de hac materia, & tamen nunquàm eorum nugas meminit.

Item, in Veteri Testamento præceptum & pluries est, ne pluralitatem, sed tantum unitatem con-

fiteamur. Exod. 20. Ego sum Deus tuus, & nõ erunt tibi alij dij præter me. Et Deuteron. 6. Audi Israel q; Iehonah est Deus noster, & Iehonah unus est. Hoc ita uertere uoluit, quia uocis proprietatem ignorantes, fœdissime ibi decipiuntur. Et cap. 4. Scito ergo hodie & cogita in corde tuo, quoniam Deus ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum, & non est alius præter eum. Alijsq; innumeris locis, Deus Israhel, Deus solus, & ipse solus esse dicitur.

Ipsi tamẽ nolunt dici solũ, sed tres habere socios.

Ad ista facile uidetur eis responderi posse, uerba tamen mangonizant, & mentem non capiunt, quando plures res dicunt, unam tamen essentiam, quasi non quælibet res habeat suum esse. Immò, ut infra ostendam, potius congruit, quòd una res habeat plures essentias, quàm quòd plures res habeant unam essentiam. Sæpius ab eis inter res & naturas differentiam requirens, nunquàm potui aliam inuenire rationem, nisi quòd רגל sic usi sunt. Item, eorum defensio sine scripturarum testimonio facticia uideri potest, nam de uno Deo constat, de rebus illis quas personas appellant, mentionem non reperio, nec de essentia scriptura loquitur, nec de alijs uniuersis eorum doctrinis Logomachijs & Cenophonijs. O Timothee, uocum nouitates deuita, quas nonnulli profitentes circa fidem aberrarunt: & alibi, uarijs &

pere-

peregrinis quæstionibus nolite abduci. Item Paulus 2. Tim. 2. prohibet, ne uerbali disputatione abducamur. Sed quod uerbalis sit eorum defensio, ex dictis iam patet, nam concedentes tres esse res quas personas appellant, à conuertibilibus arguendo, tria entia concedunt, & ex consequenti tres substantias. Ergo, si Deus absolute significet, clare sequitur, eos esse reales Tritoitas, & per consequens, scripturis & unitati Dei realiter repugnare, & sophistice unum Deum cōnotatiuum defendere, propter quod odibiles sunt Deo, Sapientiæ 37. Vide obsecro solidum aliud fundamentum, nam concedentes tres esse res, negant tria entia & tres substantias, ratio, quia ista nomina terminantur in tia, ideo sunt essentialia. O mundi portenta, quod secundum exigentiam terminationis uocum ludibrio sit nobis Deus, & secundum exigentiā unius uocabuli pluralitatem in Deo confiteamur, & non secundum exigentiam alterius, quasi & Hebræis, Græcis, & Barbaris nomina debeant terminari in tia, ut certa sit omnibus linguis regula deludendi Deum. Sunt ne istæ uerbales illæ disputationes, quas abhorret Paulus? Et si ab eis petas quomodo uanissima ista fundamenta iactitant, respondebunt magistrorum usu se ita didicisse, non est eis cura, si Verbum Dei rescindant, modo traditionis

ſuæ fermentum ſeruent. Item, audi quid de perſonis ſcriptura ſentiat, ut uſum iſtorum ſcripturæ eſſe ualde conformem intelligas, nam exterior hominis facies et repræſentatio, perſona, in ſcriptura uocatur, ut cum dicimus, pulchram iſte habet perſonam. Et ita capitur Roma. 2 Coloſſ. 3. Acto. 10. & 1. Petri. 1. dum dicitur, quòd Deus non reſpicit perſonam, quia non habet reſpectum ad exteriora iſta diſcrimina, ſi quis ſit maſculus uel fœmina, ſeruus uel liber, Iudæus uel Græcus. Et ita capitur 1. Reg. 17. Iacob. 2. Leui. 19. & Deut. 1. dum dicitur quòd non reſpiciamus perſonam pauperis, aut uultum potentis. Et ita 2. Cor. 1. 2. 3. 4. 8. 10. & 11. ponitur græce πρόσωπον quod latine uultum, perſonam, aſpectum & faciem ſonat. Sed extra ſcripturas, ſignificatio uocis, perſona, eſt Latinis ita per ſe nota, ut aliquis diabolus eis ſuggeſſerit mathematicas fingere perſonas, & pro perſonis, imaginarias & metaphyſicas res nobis obtrudere. In CHRISTO enim relucebat una deitatis perſona, et in apparitionibus ſeu locutionibus dei patris alia, & in miſſione ſpiritus alia, & ſic tres in Euangelio nouimus perſonas, diuina ſcilicet manifeſtatione. Et alius paracletus ſecundum Tertulianum dicitur, non ſubſtantiæ nomine, ſed perſonæ, quia alius aſpectus, & alia fuit ibi deitatis ſpecies & diſpoſitio

ſpoſitio, apparitionum nanq; modos cõſyderat ſcriptura, & non metaphyſicas rerum naturas. Rimare hic ab origine cauſas, quid de perſonis antea ſentiret traditio, et quomodo temporum iniuria omnia ſint deprauata, quale etiam de hypoſtaſi portentum fecerint, dicam poſtea quando de Verbo loquemur.

Item, ad prædicta Marci 12. Audi Iſrahel, Deus tuus unus eſt, & non eſt alius præter eum. Et ſecundum mandatum eſt de proximo, in quibus duobus mandatis totam legem & prophetas pendere, Matthæi 22. dicit. Ergo in uniuerſis Legis mandatis non mandatur credi imaginaria trinitas. Sed ſolus unus qui dixit, Ego ſum, ego ſum, & non eſt abſq; me ſaluator. Eſaiæ 43. & capit. 45. Ego Dominus, & non eſt amplius extra me, non eſt Deus abſq; me, non eſt Dominus, ego Dominus, & non alter.

Tot authoritatibus fulciuntur Hebræi, ut tantũ deorum diſſidium nouo teſtamento introductum, merito admirentur, ſchiſmaticumq; putant teſtamentũ noſtrum, cum nos ab eorum Deo tantum abhorrere uideant. Contra quos, ſi nobis diſputandum ſit, Apoſtolicam oportet ſequamur formam, ſcilicet ut eis ad oculum hunc IESVM eſſe CHRISTVM, & Dei filium indicemus, quod & Magiſter nos docet, qui hoc modo Iudæos inducebat Ioan. 8. Ille, inquit,

יהוה quem uos dicitis Deum ueſtrum eſſe, ille eſt pater meus. Vide quàm clare & intelligibiliter ad mentem eorum eis de Deo ſuo loquebatur, & propterea uolebant eum occidere, quia patrem ſuum dixiſſet eſſe Deum. Ioan. 5. Et reus eſt mortis, quia filium Dei ſe fecit. Cur non cogitas, in quo ſenſu hæc illi loquebantur, nec CHRISTVS hunc ſenſum negat, immò confirmat, reſpondens, Vos dicitis quia ego filius Dei ſum. Item ſi Paulus eſſet hodie in Damaſco, Iudæis hunc eſſe filium Dei perſuaſurus, quid putas per illud pronomen demõſtraret, qualem crederes diſputationis modũ, ut Iudæi tales, quales eos hodie Meſſiam expectantes, uides, perſuaderẽtur, ſicut mulier Meſſiam expectans, ex CHRISTI dicto perſuaſa eſt. Aliqui tamen ſibi ipſis uidentur ita magnifici, ut non dignentur oculos ad hominem reſpiciendum inclinare, rem abiectam et ridiculam putant, hominem dici filium Dei. Sed quid aliud ſublimius eſt, quod filium Dei faciunt, & ad filium oportere dicunt, quod ſit eiuſdem naturæ, ſiue, ut aiunt, eiuſdẽ ſpeciei ſpecialiſſimæ cum patre, & ſic à limine hanc hominis filiationem tanq; blaſphemiam reijciunt. Sed reſpondeat pro me ipſe Magiſter, qui Ioannis 10. aliorum hominum comparatione ſe filium Dei oſtendit. Nam ſi alios homines dixit deos, uos dicitis

citis

citis me blasphemare, quia dixi, filius Dei sum, cum pater me ultra omnes consortes meos sanctificaue-rit. Ecce clare illum qui sanctificatus est, dici filium Dei, hic est ille qui sanctus uocabitur filius Dei, hic est ille de quo dicunt apostoli, Sanctum filium tuum IESVM. Suam speciem specialissimam etiam in brutis fallere manifestum est, & ex suo capite illud re-quisitum effingunt, utinam isti modicum Deo appropinquarent, nimis enim remote de illo dijudicant.

Item, concordent ipsi uetus testamentum cum nouo. Quid est q̃, totiens apud Hebræos de Messia rege dicitur, glorificauit, decorauit, coronauit eum, gloriosus, decorus, inclytus, nobilis, gloria, laus, decor, pulchritudo, magnificentia, honor, quæ etiam in nouo testamento IESV CHRISTO filio Dei sæpissime tribuuntur, ipsi uero nihil horum homini tribuunt, nec de ueteris testamenti Messia curant, omnia per communicationem idiomatum secundæ rei adscribunt, dicunt enim, non esse duos reges, nec duos glorificatos.

Audiamus nunc portenta, quæ peperit Trinitatis concertatio hæc, nam ea in lucem protrahere suffi-ciens erit omnium philosophorum confutatio.

Tritoitæ, postquàm hæc de tribus rebus philoso-phia intrauit in mundum, tres deos dixere, quòd li-

cet ore negent, re ipsa nostri fatentur. Arriani secundam illam rem à primæ substantia separant, tanquã ea minorem. Macedonius tertiam illam rem deum esse negat, sed patris & filij seruam dicit. Ecce quomodo errato semel fundamento, perditissimi homines agitantur in altum pelagus, quæstioni minori quæstionem maiorem adijcientes, & quilibet nouũ excogitans deum, nouas blasphemias ei semper adiungit. Præterea Aetiani & Eunomiani, dissimiles illas res esse dicunt. Origeniani, quòd non possit filius uidere patrem, nec Spiritus sanctus filium, delirant. Maximinus, quod pater sit pars Dei, & quamlibet personam tertiam partem Trinitatis esse, timebat. Metangismonitæ, secundam illam rem dicebant esse in prima, sicut uas minus intra uas maius. Nestoriam alium filium Dei, alium filium hominis Iesum esse dicunt, quod nostri re ipsa fatentur. Nam ut apparet in disputationibus Maxentij Constantinopolitani, Nestorius nunquàm duos filios concessit, sed quibusdam sophisticis technis, quod in his est omnino simile, se defendebat, lege ibi, & hos Nestorianos clare uidebis. Eutychiani, solã in CHRISTO esse naturam diuinam asserebant, quasi esset phantasma de cœlo lapsum, ut Marcionitæ dicebant. Monarchiani, ut Praxeas & Victorinus, deum patrem

omni-

omnipotentem IESVM CHRISTVM esse dicebant, & seipsum sibi sedere ad dexteram suam. Post quos Sabelliani personam & nomina CHRISTI & patris confundunt, qui & Patripasiani dicti sunt, quia patrem passum credunt. Alogi, non intelligentes Verbi mysterium, dicunt Ioannem mentitum esse dum dixit, Deus erat Verbum.

Nouissime, ut Decretalis refert, Ioachim contra magistrum, quaternitatem in diuinis arguebat, eo quod illa essentia secundum Magistrum Lombardum, est natura quædam, non generans, ut est pater, nec genita, ut est filius, neq; procedens, ut est Spiritus sanctus. Sed est quædam summa res, ex quo uidetur esse quoddam quartum simulachrum. Concedebat ergo Ioachim, quòd nulla substantia, neque essentia, neque natura est illæ tres res. Sed dicuntur unum esse collectiue, sicut multi homines unus populus.

Cap. Damnamus, de summa Trin.

Recte equidem quartum simulachrum arguebat, sed stulte conclusionem intulit. Plures alij alijs modis errores euomunt, quia secundum eos uno inconuenienti dato, plura contingunt, & nouissimus error peior priori.

Quartum simulachrum essentiæ.

Non solum apud hæreticos, sed in ecclesia nostra innumera sunt orta portenta, innumeræ sunt ortæ, non modo dubiosæ, inextricabiles, & nodosæ, ne-

rum etiam absurdissimæ quæstiones, iuxta illud Magistri, Qui ambulat in tenebris, nescit quo uadat.

Prima ex his orta quæstio est, quid intersit inter procedere & generari, & quare tertia illa res non dicitur filius, & non dicitur generari sicut secunda. De quo in primo Sententiarum distinct. 13. ubi dicit Gregorius, quòd non est ei possibile intelligere, licet credere se fateatur, sed Deus scit qualem fidem habebat in talibus angustijs positus. Similiter Augustinus, Ioannes Damascenus, & alij omnes hanc quæstionem perhorrescunt. Sed ego paucissimis rem absoluo, & dico quòd caro naturaliter generatur, spiritus uero nequaquàm, dicere enim Verbum generari, est merum somnium & abusio magna. Hoc clarissimum euadet, dum dixero qualiter Spiritus sanctus procedere dicatur. Dicunt præterea esse essentiam de essentia, tamen essentia non generat, sed Demiurgus generat. Debuissent ergo dicere quòd habebat uxorem quandā spiritalem, uel quòd solus ipse masculofœmineus aut hermaphroditus, simul erat pater & mater, nam ratio uocabuli non patitur, ut quis dicatur sine matre pater. Et sic isti Valentiniano, Ptolemæo in hoc sunt priores, quod inuolute sua somnia in ipso Deo inclusa conculcant, quæ ille explicite & separatim ponit. Dicunt etiam quod illa

prima

prima res non ex alio, nec ex nihilo, sed ex seipsa eum qui idem cum seipsa est, continuo generat. Non quòd semel genuerit, ut Valentinus dicebat, sed spiritali uxore abutendo semper sufflat, semper parturit: nec potest à tali coitu desistere, continuo enim est astrictus, & spiritalis ille Bytus produci in dies dicitur, licet idem natura sit cum Demiurgo illo æternali, Valentinianis uerbis utor, quia inter istos & illos nullum est, nisi uerbale discrimen. Præterea ab illis duobus Aeonibus, naturaliter produci tertium Pleroma dicunt, & iste tertius in procedendo, sicut secundus in nascendo id accipit, ut sit essentia: & inculca semper caudam, quod illi tres spiritus, seu illæ tres res inter se tam uarie & difformiter ortæ, sint una & eadem res, & hæc non est ista, & ista non est illa, & omnes sunt una, quod est adeo monstruosum, ut mallem post Valentinum centum octonationes dæmoniorum refringere, quàm Dei Optimi Maximi, naturam ita conculcare, infringere, & in tres difformes res uarie secare: quantumcunque ipsi uarijs nominum coloribus hanc diuisionem paliare nitantur, nisi consuetudinem haberes de his rebus tanta pietate loquendi, facile, si oculos aperias, iudicabis, quòd Deum ita difformem reddere, est omnium blasphemiarum maxima blasphemia. Præterea his

deriuationibus non obstantibus, æquales & eiusdem potentiæ contra Donatum illas tres res esse dicunt, ita quòd secundum Augustinum, potens est filius sibi filium, & patri nepotem effutire, & ex consequenti, potens est ille tertius spiritus chymeram impregnare, & prolem sufflare: dicit tamen q̃ filius non genuit, quia non oportuit. Præterea tertiam illam rem nostram esse dicunt, secundam uero nõ nostram, sed patris, & secundam illam rem humanitati, hypostatice, id est, asinaliter uniri, & non alias duas in Christo dicunt. Sed uellem scire quare ipse magister loquens, non dixit, filius, uel secunda persona in me manens, sed pater in me manens, pater in me est? Similiter dum dicitur, spiritum dei in eo esse, quare nõ dixit, se non tertiam, sed secundam illam rem intra se inclusam habere? Nec scire possum unde tot Cenophoniæ, q̃ sola secunda persona sustentet, personet, assumat in unitatem suppositi, terminet dependentiam, præcipue cum illas personas sic conglutinent, ut indiuisim agant: dicunt enim q̃ opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & ipsimet nec dicere nec intelligere possunt, qualiter humanitas à sola secunda re, & non ab alijs suppositaliter dependeat, & quòd sola illa secunda res sit ibi carnaliter unita, nam hic manifeste diuiditur Deus: aut necesse est

Scoti-

Scotizare, super qua materia relationes fingentem Ocham confiteri ueritatem coactum, dicunt reales. Sed Deus est ueritas, & utriq; mendaces, qui à se ipso, inquit CHRISTVS, loquitur, mendax est.

Præterea, si illa secunda persona assumat Mariã, sicut assumpsit CHRISTVM. Tunc concedunt sophistæ, CHRISTVS est Maria, CHRISTVS genuit filium Dei, CHRISTVS est mater sua. CHRISTVS est uir & fœmina, continete obsecro risum, si potestis, & cũ hoc ferreas habent frontes, ut erubescere nesciant. Præterea inter constitutionem & compositionem multum interesse dicũt, nam constitutionem in diuinis ponunt, quia filius constituitur ex essentia, sed non componitur. Præterea, sicut duas, & uarias duarum rerum natiuitates in CHRISTO ponunt, ita etiam duas in tertia illa re sufflationes, primo chymeria quadam & portentosa deriuatione, à duabus primis intrinsice fluit. Secundo dicunt eam mutatione alia extrinsice & temporaliter ab alijs duabus sufflari. Præterea istam & secundam rem in dies fieri seu produci dicũt. Ecce clare factitias illas æonum emissiones, quæ in dies producuntur, generantur, nascuntur & fiunt, atq; hic miraculose illud quartum simulachrum simplicissimum esse uolunt, ut his in eius uentre deformitati-

Omnia quæ deum spectãt si scripturis non probentur, sunt mendacia, quia omnis homo mendax.

bus non obstantibus, duæ illæ productæ res cum alia re generante non genita constituant unam ociosam naturam, non genitam nec generantem, nec spiratam nec spirantem. Præterea magna est concertatio quæ sint humanitatis, & quæ sint illius secundæ rei nomina, nam primo filij appellatio, non homini, sed secundæ rei tribuũt. Et ex hoc cum IESVS CHRISTVS dicatur filius Dei, & IESV, & CHRISTI uocabula ad illam conuolarunt. Tandem filium hominis, non de homine, sed de illa re dici contendunt, immò hominem ipsum negant esse hominem, & sic remansit humanitas sine nomine. Præterea Magnus ille Basilius contra Eunomium lib. 2. genitũ dici & non genituram, filium & non natum, mira uanitate contendit. Et magnus ille theologus Nazianzenus in sua theologia, spiritum illum tertium, nec genitum nec ingenitum tenet, quod Augustinus & alij sequuntur. Et an à patre & filio, uel à patre tantum, ut Græci dicunt, tertia persona procedat, acerrima est, uentosa & antiqua quæstio, quam ego facilime postea dissoluam. Miror profecto quare etiam non dubitant, an secunda procedat à tertia, sicut tertia à secũda, ut causæ sint sibi inuicem causæ. Nam scriptum est Esaiæ 48. Et nunc Dominus misit me & spiritus eius. Ergo filius ab spiritu mittitur.

&

& dicitur à Spiritu sancto cõceptus, & dicitur spiritus Domini esse super eum. Item, an pater et filius dicantur unus spirator collectiue, uel an dicantur unum principium, quia una essentia: & sic, an essentia sit sufflationis principium, intelligibilis quæstio est. Nam illud quartum simulachrum quod essentiã uocant, in omnibus ociosum esse uolunt, saltem Moderni. Præterea, magni refert, an notiones sint communes, an personarum constitutiue. Similiter si quid dicatur esse suppositum, uel non multum interest, & in tantum interest, ut ex eo totum pendeat regnum cœlorum, nam hominem IESVM CHRISTVM suppositum esse negant. Et longus est sermo, à 25. usq; ad 35. distinctionem, ubi Occam dist. 26 multum insistit, & in quibusdam notionibus, relationibus, formalitatibus, quiditatibus, & filiationibus, de quibus Paulus nunquàm cogitauit, fundamenta nostræ fidei ponunt, fundati sunt super arenam, & non super firmam petram, fideiq; maiestatem non solidam reputantes, ludere uidentur. Audi obsecro soliditatem Longobardi Rabini in suis sententijs libro primo, distin. 32. capite, præterea quæstionem acerrimam, quæ solidissimam Dei maiestatem decet, tractantis, quæ scilicet est ratio differentiæ, quòd pater dicitur diligere ea dilectione quæ ab

Talẽ sibi magistrum Christo reiecto elegerunt Sophistæ.

eo procedit, & non dicitur ſapiens, ea ſapiētia quæ ab eo procedit, & totus difficultate perterritus fluctuans, neſcit quo uadat. Similiter diſtin. 33. cap. Si forte, eſt quæſtio difficilis, ridicula tamen. Quæ eſt ratio differentiæ, quòd proprietates nō poſſunt eſſe in perſonis quin eas determinent, & tamen ſunt in eſſentia abſq; hoc quod eam determinent. Quis obſecro Turca, Scytha, Barbarus, poſſet iſtas, quas Paulus logomachias appellat, ſine riſu tolerare. Sed ſingula perſequi ſuperfluum hic eſſet, licet multa alia ſint inter eos circa materiam incarnationis horribilia figmenta, & à terminis legis multum remota & peregrina. Hoc ſolum tecum cogita, an iſtæ quæſtiones redoleāt Apoſtolicum ſenſum: uide ſi ſit hæc magiſtri noſtri CHRISTI doctrina, nunc ſic ſumus aſſuefacti, ſed futuræ generationes ſtupēda hæc iudicabunt. Vere ſunt ſtupenda plus quàm ea quæ de Valētino refert Ireneus, nec eſt in tota Biblia una litera quæ ad has imaginationes tendat.

Præterea, quod omnibus his acrius eſt, quantū trinitatis traditio hæc, fuerit Mahometanis, proh dolor, deriſionis occaſio, ſolus Deus nouit. Iudæi etiā noſtræ huic imaginationi adhærere abhorrent, & ſtulticiam noſtram cum Trinitate derident, ac propter huiuſce blaſphemias non credunt hunc eſſe illū

Meſſiam

Messiam qui in Lege promissus est. Et non solum Mahometani & Hebræi, sed bestiæ agri nobis illuderent, si phantasticam nostram sententiam perciperent, nam omnia opera Domini uni Deo benedicũt. Audi etiam quid Mahomet dicat, nam maior est adhibenda fides uni ueritati quam hostis fatetur, quàm centum nostrorum mendacijs, inquit enim in suo Alcorano, CHRISTVM fuisse summum prophetarum, spiritum Dei, uirtutem Dei, flatum Dei, propriam Dei animam, Verbum afflante Deo ex uirgine perpetua natum, & quod pro malicia Iudæorum aduersus illum sunt in hac miseria & calamitate.

Dicit præterea quòd Apostoli & Euangelistæ, & illi primi Christiani fuerunt optimi uiri, & uera scripserunt, nec tenuerunt Trinitatem, seu tres personas in diuinis, sed posteriores hoc addiderunt. Addita ergo & superordinata fuit hæc torrentissima pestis, & dij noui recentes, quæ uenerunt, quos non coluerunt patres nostri. Et hæc philosophica pestis est nobis à Græcis illata, nam illi præ cæteris sunt philosophiæ deditissimi, & nos ab eorum ore pendentes, facti sumus etiam philosophi.

Piaculum forte putabunt aliqui, si eos errare potuisse concedam. Sed ego non aliter id probo, quàm ostendendo eos nunquam intellexisse scripturarum lo=

eos quos ad hanc rem inducunt. Si claritatem quæ tunc erat, à suis tam confusissimis tenebris distinguerent, cognoscere possent Paulum merito dixisse Ecclesiam Dei stabilimentum & columnam esse ueritatis, quod nihil aliud est nisi sermonem Euangelij esse ueracem, & hoc est uerbum Euangelij scilicet, quòd IESVS CHRISTVS est filius Dei. Nam ut dixi, & latius infra dicam solidissimum firmamentum & fundamentum ueritatis, super quo est ecclesia fundata, est credere IESVM CHRISTVM esse filium Dei. Et ex hoc fundamento columnam ueritatis dixit Paulus. Ergo sine fundamento non dicitur ecclesia nostra fundata, huius enim firmæ ueritatis obseruatio petram columnam & ecclesiam Dei nominat, nam potest manere ecclesia non manendo ecclesia Dei, potest in ea manere Petrus non manente petra. Hæc minora sunt quàm ut referri mereantur, nisi essent qui ferreos habent dentes, ut si uel unum scripturæ locum mordicus arripiant, contenti sunt. Sed uellem eos cætera scripturæ loca ita diligēter obseruare. Item, quid obsecro eos iuuat, quod Apostolis dixerit CHRISTVS, Ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsummationem seculi. Nam CHRISTVS cum Apostolis & cum omnibus qui fuerint ex eis, mansit, & mansurus est usq; ad

ad consummationem seculi. Sed nos non sumus ex illis, nam si fuissemus ex illis, mansissemus in eorũ doctrina 1. Ioan. 2. Item, nota sequelã & intelliges conditionẽ, prædicate inquit euangeliũ, docete seruare omnia quæ præcepi uobis, & ecce ego uobiscũ sum. Vbi obsecro sunt qui Christum prædicant, ubi sunt eius præceptũ, scilicet de credendo eũ esse filiũ dei, seruantes, ut cũ illis sit Christus. Ostendã tibi in fine libri tertij, q; nescis quid sit hoc Euangeliũ eis prædicandum cõmissum, imò quod nõ sis Christianus, tibi probabo, credunt congregationẽ esse quoddam mathematicum corpus tenens spiritũ dei per capillos ligatum, etiã si nullus illorũ Christũ nec eius spiritum nouerit, Quotiens, inquit, congregati fueritis in nomine meo, sed quomodo congregantur in nomine Christi, qui nesciunt quis sit ille Christus, quomodo etiã erit sanctus spiritus in cõgregatione, si in singulis eorũ sit spiritus fornicationis & rapinæ plenus. Caue ergo ne sola pertinacia dicẽdi, ecclesia errare non potest cognitioni Christi resistas, & errorem ignorantiæ eius defendas. Det tibi dominus intellectum, ut scripturarum simplicitati te accommodes, si totus tibi fuerit CHRISTVM inquirendi animus, infallibiliter erit ipse propitius.

Sub hac conditione fiunt omnes legis repromissiones. Idem patet 10. 15. & Psal. 88.

LIB. II.

NEMO ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo, Ioannis 3. Mirantur aliqui circa hoc, quis est ille filius hominis qui in cœlo tunc esset, nec consyderant quòd cœlum illic est, ubicunq; CHRISTVS est. Aliâs etiam mirarentur, si CHRISTVS eis diceret, regnum cœlorum intra uos est. Nec Paulo crederent dicenti, Conuersatio nostra in cœlis est, Philip. 3. & Ephe. 2. Deus resuscitauit nos cum CHRISTO, & cum eo sedere nos fecit in cœlestibus, in cœlo sumus dũ thesauros in cœlo colligimus. Similiter quod dictum est, Qui minor est in regno cœlorum, maior est Iohanne Baptista. Nihil aliud est nisi quòd quilibet eorum qui sub euangelio sunt, maior est eo qui fuit totus sub lege. Ergo nos etiam minimi in regno cœlorum sumus, cum etiam qui non longe distabat à cognitione Euangelij, dixit CHRISTVS, non longe distare à regno cœlorum. Et Apostolus ad Roma. 10. Ne dicas in corde tuo, quis ascendet in cœlum, nã hoc idẽ est ac si petas, quis CHRISTVM è cœlo deducet: quasi dicat, frustra rei difficultate te excusas, frustra petis quod intus habes, nam omnis illa difficultas per CHRISTVM est superata,

illle

illc est ex alto deductus, & ex mortuis reductus, ut iam coelum intra nos sit. Ecce coelum hic est. Prope te est uerbum in ore tuo. Quòd si credas CHRISTUM esse filium Dei, in coelum ascendisti. Spiritualis igitur sensus, dicto cap. 3. ex ordine literæ colligitur, & ut CHRISTUS ibi testatur, uerba illa, non sunt terrestria, sed cœlestia. Ergo non debemus ea cum Nicodemo carnaliter intelligere. Et sensus est, Nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum dei, id est, uenire ad noticiam euangelij, per quam efficimur cœlestes reiecta terrenorum legis umbra: & ipse est maxime totus in cœlo, qui cœlum secum affert, & appropinquauit regnum coelorum appropinquante CHRISTO, & nemo adhuc illò ascēderat, nisi ipse filius hominis qui in cœlis est, quia ille qui è supernis uenit, super omnes est. Vult dicere CHRISTUS, quòd regnum Euangelij, quod est cœleste, nulli adhuc erat notum, nisi sibi soli, nec potest notificari, nisi credētibus ipsum esse filium Dei. Et nota q, dicit se iam ascendisse in cœlum, nam ibi ἀναβέβηκεν est præteriti temporis, nec hoc de alio cœlo potest intelligi. Nec illa secunda res tunc ascendisse dici poterat. Sed de ipso tunc uerum erat dicere eum iā in cœlum ascendisse, quē filij hominis ascensum intelliges libro 4. pro nunc

dic eum iam ad ſinum patris aſcendiſſe, erat ei cœlũ lux inacceſſa quam pater inhabitat: & cum in cœlũ aſcẽdiſſe, et in cœlo eſſe nihil aliud ibi eſt, quàm plenitudine ſpiritus ſpiritualia tractare, & ideo in cœlo erat dum loquebatur cœleſtia. Et niſi hoc modo intelligas, non intelliges quare dixit Paulus, uſq; ad tertium cœlum. Pro quo ſcire debes nomina dualis numeri ſignificationem Hebræis habere dualem. Inde שמים duos cœlos eis ſignificat, ultra quos ipſi non aſcendunt, quia caro ſunt. Cœlum unum eſt aëreum, ut aues cœli, nubes cœli, aquæ cœli: ſecundum eſt æthereum, aſtrorum regio. Sed ſpiritus his non contentus, ulterius aſcendit, non dico localiter. Et ſic tertium cœlum penetrauit ſpiritus Pauli, & hoc ipſum intra nos eſt: ſi cui, ueluti Ioanni & Stephano, hi cœli aperiuntur, uidebit CHRISTVM ubi ſit, uidebit id quod Gene. 1. Creauit Deus haſamaijm, id eſt, ſpirituales illas Dei habitationes, & inacceſſam lucem, qua ſe Deus tanq̃ ueſtimento operit, & hoc ipſum quid ſit infra dicam. Si hanc cœleſtem magiſtri doctrinam non capias, dic mihi quomodo dixit CHRISTVS filiũ hominis eſſe illum qui in cœlum aſcenderat, quid per filium hominis intelligis, nam abuſio eſt magna dicere quod filius hominis, ſit nomen hypoſtaſis, eo magis, quia de illa hypoſtaſi

postasi non potuit illud uerificari. Ergo contra te locutus filium hominis significanter dixit, nec potuit clarius loqui, nisi forte desyderes quod more tuo dixisset, hæc humanitas, hoc corpus, hæc caro, illuc sursum localiter est supra expansionem. Item, interrogat te & CHRISTVS unũ, baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus, & cogita cum pharisæis, an eum è cœlo esse concedas, melius illi de cœlo sentiebant, quàm tu qui baptisma Iohannis è cœlo esse negare non audebant, & tu filium hominis, seu quem humanitatem facis, è cœlo esse negas. Nota etiam CHRISTI argumentum à sufficienti partium enumeratione, è cœlo an ex hominibus, quasi id quod non secundum hominem est è cœlo sit: ergo CHRISTVS è cœlo est, quia secundus homo de cœlo cœlestis, & è cœlo est, & in cœlo est, quicquid est supra carnem & sanguinem.

Secundo quæritur de intellectu illorum uerborum, Qui uidet me, uidet patrem. Ioan. 14. Si intelligas, qualiter pater erat in eo, & qualiter ipse in tantum erat in patre, ut nihil nisi ea quæ patris sunt, faceret, facile intelliges, quod uidendo patris splendorem uidetur pater, & uidetur per radium sol, nam postquàm dixit, Qui uidet me uidet patrem, adiecit statim, non credis q pater in me est, & ego in patre,

& per consequens, qui imperuestigabiles diuitias CHRISTI, & eius diuinitatem consyderat, facile ad patris noticiã perueniet, nam filius ipse IESVS CHRISTVS dicitur Verbum patris, quia patris mentem enunciat, & eius cognitionem facit. Iste intellectus comprobatur Ioan. 1. Deum nemo uidit unquàm, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et Ioan. 5. Neq; uocem eius audistis, neq; speciem eius uidistis, quia quem misit ille, huic uos non creditis. Et Ioan. 8. Si me nouissetis, & patrem meum nouissetis. Qui cognouit potentiam Holofernis, facile cognoscit quantus fuerit Nabuchodonosor qui eum misit, nam qui missum ab alio uidet, & accipit, uidet & illum qui misit eum. Ioan. 12. & 13. Clarificato filio, clarificatus est deus in eo. Sed nec Apostoli, nec angeli cœlorum uiderunt aliam clarificationem, nisi clarificationem filij hominis.

Summa, CHRISTVM uidere est cognoscere eum esse Verbum patris, & cognoscere quæ in eo uirtus, & cognoscere unde exiuit, sicut ipse dicit Ioannis 7. Et me nostis, & unde sim nostis. Modo non est possibile ista cognoscere non cognito patre. Item argumentum controuertitur, impossibile enim est, quòd illud dictum de illa metaphysica re, & de eius uisione intelligatur: nam CHRISTVS dicit, ꝙ

per

per ipsum ducimur ad cognitionem patris, sed qua=liter res illa quæ est magis ignota, quàm pater ipse, ducet nos ad cognitionem patris.

In principio erat Verbum, id est, eloquium seu uox Dei, quia in principio dixit Deus, Fiat, & factũ est, & Verbum illud factum est lux uera. Dum di=xit, fiat lux, & illud idem Verbum, illa eadem lux est homo CHRISTVS, qui est lux mundi, lux uera illuminans omnem hominem uenientem in hũc mun dum. Vide quomodo uerba uerbis respondeant, hoc ipsum per uerbum εἰπὼν, id est, dixit, declarat Pau lus 2. Cor. 4. Similiter & Ireneus. Quis enim tolera bit scripturam aliò trahere, nisi usq; quo uocabuli proprietas patitur, nam λόγος, non philosophicam illam rem, sed oraculum, uocem, sermonem, eloqui=um Dei sonat. Vsurpatur enim à uerbo λέγω, quod est dico, eo magis, quia ipsa mundi Genesis interpre=tationem indicat, quia Deus iam ab initio de CHRI STO loquebatur, & eo uerbo loquendo operaba=tur, ut inde per ipsum CHRISTVM dicãtur esse omnia. Origenes etiam super Hieremiam homelia 6. Quis, inquit, est sermo domini qui factus est ad Hie remiam siue ad Esaiam, siue ad quemlibet prophe=tam, Ego, ait, nescio aliud uerbum præter ipsum, de quo dixit Ioannes, In principio erat sermo. Nam ad

inquirendam significationem uocabuli, inquirendi sunt loci, quibus spiritus sanctus idem uocabulũ protulit, nec est in tota Biblia una litera quæ suam illam imaginariam uerbi significationem comprobet. Ergo temerarij sunt, & multo magis est temerarium de sermone facere filium. Quid obsecro interest eorum doctrina à gentilium fictionibus qui Mercuriũ uerbum esse tradunt, per quod sensui doctrina confertur, Paridem sensum, & fortitudimem Mineruam. Simili enim modo ipsi dicũt, quòd tertia illa res est charitas, & secũda noticia: magna est eis gloria, res separatas multiplicãdo, Platonizare, dissidia & discordias in scripturis seminare est eorum studiũ, exponunt ipsi, In principio, id est, in patre. Et Genesis 1. In principio, id est, in filio. Quid ego audio? putas ne q̃ filius Zebedæi tam subtilem philosophiam sciuisset. Ego malo ignorare quàm scire hanc scripturarum discordantem concordiam, sed cum Tertuliano unicuiq; uocabulo proprietatem conuindicans, principium initium esse dico, & competisse ita poni rebus incipientibus fieri, nihil enim quod fieri habet sine initio est, itaq; principium siue initium incœptionis est uerbum, & non alicuius substantiæ nomen, sicut si dicamus, in fine faciet Deus hoc uel illud, & ordinem operis significantes, dicimus, In princi-

principio fecit figulus peluim uel urnam. Expone er go sine discordia, In principio .i. ante omnia, & dici tur ante oĩa facta esse sapientia. Prou. 8. Quia anteq̃ homo loquatur, prærequiritur meditatio cordis. Et quia Dei sermo est ipsamet sapientia, nam Deus non potest insipienter loqui. Et ita Ecclesiasticus se decla rat cap. 1. Nam postquàm dixit, Primo omnium crea ta est sapientia. Adiecit statim, Fons sapientiæ Ver= bum Dei. Et capite 24. Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, modo id quod ex ore prodit sermo est.

Antequàm ultra progrediar, ut Ioannis scopum plene attingamus, sciendum quòd antiquior Aposto lorum traditio per sacramentũ Verbi intelligit quan dam in Deo dispositionem seu dispensationem, qua placitum est ei arcanum uoluntatis suæ nobis reuela re. Et hoc Tertulianus οἰκονομίαν, & Ireneus di= spositionem sæpissime appellant. Et sicut Deus erat ille sermo, ita etiam secundum Ireneum ipsemet pa= ter loquens dicitur esse logos, ut sic distinguantur, sicut res ipsa & rei dispositio, quasi res ipsa lateat, & per sonitum uerborum patefiat, Deut. 4. Et Exo di 20. Ibi enim esse huius oraculi declarationem, pro babimus infra. Verbum ergo in Deo proferente, est ipsemet Deus loquens. Post prolationem est ipsa ca=

ro, seu Verbum Dei, antequàm sermo ille caro fieret, intelligebatur ipsum Dei oraculum intra nubis caliginem nondum manifestatum, quia Deus erat ille sermo. Et postquàm Verbum homo factum est, per Verbum intelligimus ipsum CHRISTUM qui est Verbum Dei, & uox Dei, nam quasi uox, est ex ore Dei prolatus. Et q ipse nunc sit Verbum Dei, est textus clarus Apoc. 19. Ipse enim est quem sedentem super equo albo, uidit Ioannes, cuius nomen est Verbum Dei. Facto igitur transitu de Verbo in carnem, caro dicitur Verbum. Nam de quo seruiret nobis q Verbum factum sit caro, si caro nunc non dicitur Verbum. Ioannes enim Verbum uitæ uidit, & manibus contrectauit. Et Ireneus contra hæreses libro 1. in fine capitis primi expresse deridet eos omnes qui Dei Verbum rem aliquam philosophicam esse dicunt, sed IESVM à Nazareth hunc ipsum qui natus est ex Maria, Dei Verbũ esse clamat, postquàm Verbum caro factum est. Et insensatos eos uocat, qui hunc IESVM Dei Verbum esse non agnoscũt. Quis etiam est panis, quæ est caro illa cœlestis Ioannis 6. Certe Verbum Dei est, quod est ipsum Christi corpus, ipsa CHRISTI caro. Nam quicquid in eo est, ex ore Dei prolatum est, Verbum Dei est. Et manducatio, de qua ibi est cibus & potus Verbi, &

Qui concedunt, Verbũ dei est homo, quia Verbum factũ est homo, necesse habent concedere q Dei Verbũ sit caro, quia Verbum factũ est caro, aut caro erit nomẽ hypostasis.

hoc

hoc ipsum est uerbum Euangelij, *scilicet* IESVM CHRISTVM *esse filium* Dei, *sine quo nulla est corporis eius manducatio, ut seipsum ibi magister candide interpretatur,* V*enite, inquit, & credite in me, & non esurietis nec sitietis unquàm.* Loquor *semper de carne, more* Iohannis, *pro homine ipso* CHRISTO, *& signanter* Iohannes *eo uocabulo usus est, ut magis & magis hominem* CHRISTVM *exprimeret, ne forte quis dicat* CHRISTVM *esse phãtasma: in errorem quem ipse olim damnauerat æquiualenter sumus relapsi, nihil enim interest si quis id quod caro apparebat phantasma de cœlo lapsum esse dicat, aut nos intra carnem simile de cœlo lapsum phantasma, profanoq́; & carnali modo carni unitum dicamus, cum* Ioannes *non dicat unitum, sed* V*erbum caro factum.* Simili *enim omnino modo dicebat* V*alentinus, quod soterá induit corpus animale.* Intelligamus *ergo mentem* Iohannis *quomodo* V*erbum* Dei *sit caro factum, quia suas dispositiones in carne manifestandas decreuit* Deus, *& ea omnia quæ antea* Deus V*erbo suo, seu propria uoce operabatur, caro* CHRISTVS *nũc operatur, cui traditum est regnum & omnis potestas reconcilians, reparans, recapitulans omnia in semetipso.* Re *ipsa etiam intelligitur, quòd* Ver-

bum illud quod erat in principio, sit caro factũ, quia uoce ab initio prolata, genita est caro ista, haud secus quàm si ego proferens uerbum ex ore meo proijcerem aurum aut margaritas, nam tunc proprie loquendo diceretur, quod uox mea facta est aurum, potuit enim potentissimum Dei Verbum sine illo rerum coagulo in carnis transire materiam: & propterea CHRISTVS ipse nunc dicitur Verbum homo, Verbum caro. Potest etiam intelligi Verbum caro factum, secundum quod de CHRISTO dicitur Deu. 18. Ponam uerba mea in ore eius, & in meo nomine loquetur. Et CHRISTVS ipse, A meipso inquit, non loquor, sed sicut docuit me pater ita loquor. Propterea dicitur ipse sermo patris, quia patris mentem enunciat, & eius cognitionem facit.

Quarto oraculum illud è caligine nubis est factum caro, & responsa Dei quæ inde accipiebat Moyses, nunc ex ore CHRISTI accipimus, immò illud fuit huius umbra, uerusq; hic latet intellectus, cui priores suffragantur, profundiora quæ hic latent arcana, de quibus infra.

Ioannes ergo contra Ebionitas, qui diuinam Christi generationem negabant, prædicaturus inenarrabilem genesim, ostendit qualiter per Verbum Dei primo omnium factus sit CHRISTVS, dicens,

Hunc

hunc qui nunc est caro, prius fuisse logon: & quod iam ab initio erat logos, Et Verbum erat apud Deũ, id est, Secunda illa res erat apud primam. Quem obsecro saporem habent ista insulsissima uerba, secunda illa res erat apud primam. Nam sana Christi doctrina aliter intelligit Verbum fuisse apud Deum, quia sacramentum hoc erat ab initio reconditum in mente diuina, donec uenit plenitudo temporis, & tunc manifestatum est quando Verbum caro factum est. Et ita idem Iohannes in epistola dicit, quod sermo uitæ qui ab initio erat apud patrem, manifestatus est post. Et ita Tertulianus aduersus Praxeam sermonem inquit, cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando & disponendo secum ea quæ per sermonem mox erat dicturus.

Et Deus erat ille sermo. Præuidit Ioannes istos philosophos qui ita arguũt, Verbum illud erat apud Deum, ergo erat res aliqua distincta, ad quorum tollendam calumniam, adiecit statim, & Deus erat illud Verbum, hoc est, ut inquit Ireneus, ipsemet pater loquens dicitur esse logos. Item, philosophi debuissent sic arguere, Verbum illud erat apud Deum, ergo erat res aliqua à Deo distincta, & isto modo pluralitatem deorum essent recte philosophati. Nolunt q́, Verbum fuerit apud tertiam illam rem, nec etiam

apud essentiam diuinam, sed solum apud patrem, & sic aliud est essentia diuina quàm Deus, aut Ioannes non bene dixit, Verbum fuisse apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt. Omnia fecit Deus Verbo suo, id est, prima illa res per secundam. Prima illa res per secundam operabatur, manu capiebat illam tanquàm beluam, uel tanquàm securim, & cum ea scindebat & portabat ligna. Scrutare obsecro, concorda scripturas, & uide si potuit clarius dici, omnia Verbo Dei esse facta, nisi secundum quod Genesis declarat, quia dixit Deus, fiat, & factum est. Et Psalmista, Verbo Domini cœli facti sunt, quia ipse dixit & facta sunt. Et ita expresse declarat Ireneus libro 2. cap. 2. lib. 1. cap. 19. & lib. 4. cap. 52. & in hoc sensu capitur Hebræ. 11. & Sapien. 9. Nec Ioannes unq̃ excogitasset, quod Dei eloquium faceremus naturale nomen alicuius certæ rei, præcipue cum ipse se referat ad eum sermonem quem Deus in principio locutus est, quando uniuersa condidit. Et ex alijs scripturæ locis fit euidens, hanc locutionem seu uerbi prolationem esse CHRISTI uocationem, qua CHRISTVS apud Esaiam sub Abrahæ typo uocatur, inquit enim cap. 46. Vocans ab oriente auem de terra longinqua uirum consilij mei, locutus sum & adducam illum. Et capit. 41. Ab ortu solis

uocauit

uocauit nomen meũ. Et propter hanc nominationem ſeu uocationem dicitur Pſalm. 71. Ante ſolem ינון שמו id eſt, ante ſolem erit genitum nomen eius, in futurum enim dixit filiabitur, tamen ante ſolem huius filiationis ſchema, & hoc dicitur ros natiuitatis eius. Pſal. 109. Ex utero ab aurora tibi ros genituræ tuæ. Similiter Eſaiæ 49. Dominus ab utero uocauit me, & memorari fecit nomen meum. Lege ibi à cap. 4. uſq; ad finem, & hanc uocationem & qualiter os Domini locutum eſt, deprehendes.

Reſtat circa eius generationem inquirere qualiter primogenitus creaturarum dicatur, ut dicit Apoſtolus Coloſſ. 1. Hanc primogenituram ſecundæ rei attribuunt Philoſophi, dicentes, Generationem eius quis enarrabit. Eſa. 53. Sed uiolenter & diſtorte trahuntur uerba Eſaiæ ad generationem illius, inquit enim, abiectus ille inter uiros uir dolorum, tanquàm agnus ad occiſionem ducetur, quaſi ouis coram tondente ſe obmuteſcet, generationem eius quis enarrauit, abſciſſus enim eſt de terra uiuentium, propter præuaricationem populi mei plaga fuit ei. Et ita ad hominem CHRISTVM relatum eſſe declarat eunucho Philippus Act. 8. Quia ipſe eſt ille Melchiſedec ignoti generis, quem nemo ſciebat unde eſſet, Hebræ. 7. & Ioan. 7. Sola namq; cogitatio eſt ridiculoſa

dicere, quod unus angelus sit filius alterius, nascatur ex altero, seu generetur ab alio, seu quod res alia carens corpore dicatur generari, nam illud est propria passio carnis, nec in scripturis unquam legitur generatio Verbi, seu generatio illius secundæ rei, quam abusiue logon appellant. Sed proprie loquendo dicitur prolatio Verbi, ex qua sequitur carnis generatio.

Item, hoc nota, quòd dum CHRISTVS primogenitus inter creaturas dicitur, & ipse Dei creatura esse notatur, sicut & primogenitus mortuorum, quia & ipse mortuus. Item, Sapientia creatam se dicit. Et Ecclesiastici 24. Qui creauit me. Et Esaiæ 45. Ego Dominus creaui eum. Paulus etiam & Ioannes eum factum esse dicunt, imò factum ex muliere, Ioan. 1. & Gala. 4. Dicitur etiam ad Roma. 1. quòd factus est ex semine Dauid, & additur secundum carnem, ut carnalem generationem quæ ex matre est, distinguat à generatione paterna, quæ per spiritum & uirtutem Dei ab æterno est, & hoc sonat ipsa Pauli dictio, secundum carnem, ut patet Ephe. 6. & Coloss. 3. ubi habentes seruos, dicuntur domini secundum carnem, eo quia per spiritum Dei in CHRISTO IESV, non est seruus neque liber, sed omnes unum sumus. Similiter Roma. 9. dicuntur cognati secundum carnem, quia per spiritum CHRISTI illi

sunt frater & soror qui faciunt uoluntatem patris eius. Quæ omnia etiam ex mente Ioannis declarantur, nam eò tendit, ut confunderentur Ebion & Cerinthus, qui solam in CHRISTO carnalem generationem ponebant, cum ex matre carnaliter nascatur, ex patre uero ab æterno. Nec est nisi unus natus filius & genitus. Nec philosophi, etiam si expresse ludere uoluissent, potuissent ridiculosius loqui, quàm dicendo, ex duobus unum genitum & natum ex patre sine matre, alterum uero ex matre sine patre, quæ omnia ex suo capite refingunt. Quis unquàm audiuit generationem sine patre, & natiuitatem sine matre? Ita sunt à suis Ideis fascinati, ut mirentur quòd carnem nasci dico. Sed quid obsecro nasci potest, nisi caro, ueruntamen à patre non carnaliter nascitur: aliud est enim carnem nasci, aliud carnaliter nasci. Item, si logos filius erat natus ex patre sine matre, dic mihi quo modo peperit eum, per uentrem an per latus? Nec tibi hic permittam diuersitatis rationes tuo sensu fingere. Tales enim errores non à scripturis, sed à philosophis didicisti, nam generatio filij Dei, generationibus nostris assimilata est, nec sermonem, nec filiationem, nec alia accidentia scriptura Deo tribuit, nisi quatenus consuetudini hominum aptantur. Vnde ergo tanta stul-

ticia, ut sic nostro sensu Deo abutamur. Malo ego scripturam non transgrediendo humano more loqui quàm stulte philosophari. Istum modum loquendi magister me docuit, nec solum ipse, sed omnes scripturæ hunc modum loquendi præ se ferunt: sunt enim uerba CHRISTI ita familiaria, ut sit res insanissima talibus portentis ea uiolare Item ad prædicta filium esse Dei creaturam, & ideo creatum concedunt antiquiores. Ergo ipsi non loquuntur de illa metaphysica natura, & ad hoc memini me legisse citatum testimonium Clementis illius discipuli Petri, de quo Paulus mentionem facit. Similiter testimonium Clementis alterius Alexandrini, & Dionysij Alexandrini episcopi, quorum scripta similiter & omnium aliorum qui ante Arrianum schisma scripserunt, utinam uidissem.

Iam ad quæstionem, qualiter primogenitus dicatur, inquit Ireneus, quòd hunc generationis modum, nec prophetæ nec angeli in cœlo sciunt, nec ego scio, ut eum possim explicare, tentabo tamē aliquantulum hoc persuadere. Et hoc sit tibi præcipuum maximam nobis esse causam erroris quòd carnaliter de prioritate & posterioritate temporis in Dei actionibus, quæ nulli tempori subiacent, iudicamus. Apud ipsum non reperitur, fuit, sed semper repe-

ritur

ritur, est; sicut & dixit, Qui est, misit me ad uos, ego sum qui sum, nihil est ei præteritum, omnia sunt ei præsentia, omnes Deo uiuunt, omnia nuda & plana sunt in oculis eius, uocat ea quæ non sunt, tanquã ea quæ sunt, apud eum mille anni sicut unus dies, & unus dies sicut mille anni: & propterea dictum est, ego hodie genui te, quia ab initio mundi usque ad CHRISTVM, est una dies, qua CHRISTI generatio agitur. Præterea nullam esse in Deo temporum differentiam, argumentum facit proprietas seu consuetudo eloquij prophetici, nam futura pro præteritis annunciant, & interdum econtra, tempusq; pro tempore sæpe ponitur, nõ solum rei firmitatem, sed etiam significans in Deo non esse tres illas temporum differentias, scilicet præsens, præteritum & futurum, nam ea quæ uidentur, uidenti iam sunt firma, sunt & perpetua. Item, consyderes ante mundi creationem, nam ratio temporum non tanquàm Deo sed tanquàm homini necessaria nata est, quibus distinguendis luminaria cœlestia disposita sunt, Erunt inquit, in tempora & dies & annos, ergo nec tempus habuit ante tempus qui fecit tempus, nec initium ante initium qui constituit initium. Et hæc est in conspectu Dei ratio fortis, nec Deus se tempori subiecit mundum creando.

Nunc iam si reiecto uelamine tēporis medij, consyderes horam natiuitatis seu generationis CHRISTI, esse seu fuisse in ipso mundi initio Deo præsentem, facile cōcedes Deum tunc protulisse uerbum, locutum fuisse, & proferendo filium genuisse, hunc scilicet qui nouissimis diebus manifestatus est. Sed intermedia ista maceria sensualem carnem ab huiusmodi cognitione impedit. Hoc est, quod cum magna admiratione dicit Esaias cap. 66. Antequàm parturiret peperit, antequàm ueniret tempus partus peperit masculum, tempus enim parturiendi est ipsa partus & natiuitatis hora, modo antequàm hæc fierent, iam ab initio eum uocauit, concepit & ante luciferum genuit. Ecce qualiter Deus filium quem sibi unicum generare decreuit, magnifice genuit, ita magnifice eum generari decebat, qui cōstituendus erat iudex uiuorum & mortuorum: eo ipso quòd oculos erigo, ut ipsum ad dexteram patris in cœlis uideam, contremisco dum audio à te humanitatem uocari, nonne uides quod ille est qui omnia gubernat? Hæc sola ratio, si sursum respicias, sufficit ad hoc ut non modo filius Dei, sed Deus & Dominus mundi dicatur. Ratione igitur istius prolationis in principio factæ, dicitur ipse esse principium, & eadem ratione primogenitus dicendus est, in principio enim

genitus

genitus dicendus est, nam prolatio illa in principio facta est ipsamet carnis generatio, quod nobis declarat sapientia, quæ CHRISTI est sacramentum, nam eo quia ab initio, ut dixi, cum sermone facta est primogenitam inter creaturas se uocat, & hoc sacramentum notans Paulus, CHRISTVM quem Dei sapientiã esse dicit, primogenitum uocat. Istam etiam sententiam confirmat idem Paulus ad Roma. 8. inquit enim, quòd Deus præfiniuit electos, quos & uocauit conformes fieri imaginis filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres: dicuntur enim ad similitudinem eius electi uocari, & eius generationis effigiem sequi, quia ipse primo electus & omnis uocationis specimen primo omnium uocatus & genitus est, & sic singulariori modo dicitur primogenitus inter electos, quàm inter cæteras creaturas.

Dixeram in discursu, quare dictum est, ego hodie genui te, ut non solum argumentum quod ex illo faciunt, soluerem, sed etiam ostenderem inanem esse illorum philosophiam, qui ex illo dicto inferunt secundam illam rem in dies & continua successione generari, produci, & emanare à prima. Nec erubescunt tam imperfectæ incõstantiæ transeuntem actionem Deo impingere, quasi filius sit quædam res successiua, eo modo quo de tempore & motu somniant

genita, & quod prius eſt ex non intellectis ſcriptu ris, ad proportionabilem igitur eorum ſtulticiam, declaraui quolibet die mundi, dici potuiſſe, ego hodie genui te.

Sed latius nunc huius dicti intelligentiam ſcrutemur, ut ſe errare non poſſe cognoſcant, quorſum dixit Paulus Acto. 13. Reſuſcitatus eſt IESVS, *ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Nam licet friuole uideatur Paulus locutus, tamen profunda eſt eius ſapientia. Et huius rei intellectus ponitur ad Roma. 1. ubi dicit idem Paulus, q̃* IESVS CHRISTVS *per ſpiritum ἁγιωσύνης qui erat in ipſo Dauid, definitus eſt eſſe filius Dei, cũ potentia ex reſurrectione à mortuis. Et hæc definitio ſeu declaratio Dauidis ponitur Pſal. 2. & lib. 2. Regum in fine capitis 22. & initio 23. Et hæc definitio ex eo quod reſurrexit, eo fit, quia in reſurrectione eſt* CHRISTVS *honorificatus. Ioan. 7. Omnis poteſtas hæreditas & regnum ei tunc data ſunt, ſicut ipſe teſtatur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matth. 28. Ea propter dixit Paulus cum potentia, & ad eius ſimilitudinem reſurgentes reſurgent cum potentia, ut cõtra Saducæos declarat* CHRISTVS *Matthæi 22. Nam ſeminatur in infirmitate, & reſurget in potentia. 1. Cor. 15.*

Locus Ro. 1. nunquàm intellectus.

Hæc filiationis declaratio ualidiſſime probat non rem illã ſed hominem eſſe filium.

Ad

Ad quam resurrectionis CHRISTI potentiã prædicto Psalmo respiciens Dauid dixit, Postula à me, dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, & reges eos in uirga ferrea. Et quod ibi dicitur uas figuli. 2. Reg. 22. uocat lutum platearum, hoc dico, ut historiam non contemnas: de eadem uirga ferrea & potestatis plenitudine quã CHRISTVS in resurrectione accepit, meminit Ioannes Apocalyp. 2. & 19. Hunc diem demonstrans CHRISTVS dixit, Ex hoc tempore erit filius hominis sedens à dextris uirtutis Dei. Tunc etiam uenit regnum Dei cum potentia, sicut & filius Dei cũ potentia Marci 9. Ibi enim sicut & Roma. 1. ponitur ἐν δυνάμει, id est, cum potentia seu in uirtute. Nec solum dicitur cum potẽtia & ex propria ipsius CHRISTI & regni eius potentia, sed etiam quia Apostoli potentia magna reddebant testimonium resurrectionis CHRISTI Acto. 4. Et quia Deus magnam suam potentiam, uirtutem, roborem & fortitudinem exercuit in CHRISTO cum suscitauit eũ à mortuis, Ephe. 1. & Philip. 3. & ita Paulus non ad aliud propositum illo dicto Psalmistæ uti solet, nisi ut nouo modo ostendat CHRISTI gloriosam post resurrectionem potentiam, qualiter supra angelos ad dexteram patris sedens, maneat ibi sacer-

dos in æternum. Hebræorum primo & quinto. Dauid ergo eum tunc renascendum, & salutem nobis tunc generari cõtemplans, eum quasi nouũ hominẽ genitum adnunciat factum esse filium potẽtem, quia in die illa magna qua te genui potentia declarabitur, in die illa te esse filium meum declarabitur ac si tunc genuissem te. Et ita paraphrastes Chaldæus legit, ac si die ista creauissem te, nisi enim resurrexisset à mortuis, non fuisset dignum eum credi filium Dei, nec Apostoli id credidissent, omnes enim desperauerant. Ideo omni modo, & quo ad se, & quo ad nos, hodie filius Dei uocatur, hodie genitus est qui nunc est, & ante non erat, hodie à generatione mortalis corporis transiuit in generationem incorruptibilem. Intelligitur ergo tunc genitus, quia renatus, & cum plena potestate quasi genitus, nouus homo de nouo creatus rex: & ita nouum dixit CHRISTVS in regno patris sui Matt. 26. Exponunt aliqui, ego hodie genui te in regem. Paulus nouos homines generat 1. Corinth. 4. Omnia enim ista ad imaginem eius nobis conueniunt, ut fiamus conformes imaginis filij Dei: & ad similitudinem eius qui renatus est, dicimur nos renasci, quando carne per baptismum sepulta, per potentiam spiritus resurgentes renascimur, & qui renascitur, nasci dicitur: & dicimur

mur omnes nati & geniti in Sion, & Sion mater no-
ſtra & noua ratione tunc genitus dicitur, quia noua
ratione primogenitus ex mortuis. Coloſſen. 1.

Item, ex hiſtoria hic ſenſus redditur indubitabi-
lis, nam ille pſalmus ſicut & ſequens factus eſt, quan
do principes Iudæorum cum Abſalon coniurauerũt
contra Dauid, ſicut & factum eſt contra CHRI-
STVM Acto. 4. Fremuerunt enim illi, & cũ Achi-
tophel, meditati ſunt inania contra Dauid CHRI-
STVM ſuum, ibiq; ſicut & Pſalmo ſequenti fit
mentio de reſurrectione, ſcilicet, quia à periculis re-
ſuſcitatus: & tũc dicit, hodie genitus ſum. Quod &
nos, dum à periculo magno euadimus, dicere ſole-
mus, hodie ſum natus. Veriſſimaq; eſt illa expoſitio,
ego hodie genui te in regem, quod clare patet 2. Re-
gum 19. ubi de eodem die dicit Dauid, Noui quod ho
die ſum factus rex ſuper Iſrahel, & huic ſignifica-
tioni capite 22. adiungit liberationem de manu Sau-
lis, ſicut & Pſalm. 17. quæ omnia de reſurrectione
CHRISTI loquuntur. Et cap. 23. ſicut & Pſal. 2.
iuxta Paulum per ſpiritũ ſanctum CHRISTVM
annunciat filium Dei, omnes illas de reſurrectione
definitiones ex hac die ei attribuens, hoc, inquit, de
me conſtitutum eſt, ut hac die ſim Deo genitus filius
& rex, filius inquam excelſus & cum potentia, ſicut

& dixit, Dabo tibi hæreditatem & uirgam ferream. Mirabilis Paulus, & mirabilis definitio: in illis enim uerbis, hac die te genui, est filiatiõis definitio, & ex resurrectiõe unico ictu duo cõprehendit propheta.

Non possum hic continere à gemitu, dum uideo responsiones quas super hoc fecit Rab Chimbi contra Christianos. Video tam cæcas rationes quibus eũ compellabant, ut non possim non flere. De illo mathematico filio intelligi dicebant, hodie, id est, ante secula genui te, stultissime ex hodie æonem faciunt, cum hebraice ponatur pronomen demonstratiuum, hanc diem demonstrans, deficientes à fundamento literæ, nec ipse nec illi sciebant quò tendat spiritus, ipsi negabant ei literam de Dauid, ipse negabat eis propheticum spiritum de CHRISTO, *cum tamen unum sine alio stare non possit, aliàs inaniter diceretur Dauid esse* CHRISTI *typus. Quid etiam cæcius dici potest quàm negare de Salomone dictũ esse, ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Textus est de eo clarus primi Paralip. 22. & 28. dicitur de eis, sed excellentiori modo quàm eis conuenire possit, ut ex hoc facile appareat spiritum aliò tendere, præcipue cum intermisceantur uerba quæ eis nullatenus possunt conuenire, ut de æternitate throni et regni eius. Dicitur enim hoc ipsi Salomoni,*

ſed non propter ipſum dicitur de ipſo, in quantum eſt perſona CHRISTI. Vides hic clare hominis typo hominem dici filium. Hæc ratio eſt fortiſſima ſi hiſtoriæ habeas intellectum: aut dices cum Iudæis ſolum hic eſſe filiationem per modum parabolæ, nam uera filiatio quæ eſt in IESV CHRISTO erat ſub umbra in Salomone & Dauide. Verba hæc non ſunt parabolica, ſed maximam habent emphaſim, tamen ex hominis typo inferre filiationem illius ſecundæ rei, eſt cæca imaginatio, nec poteſt typi ratio, nec aliqua repræſentatōis habitudo hic adaptari

Scandalizantur quidam, quia CHRISTVM prophetam uoco, nam poſtq̃ ipſi non habent hanc conſuetudinem, uidetur eis Iudaiſmus aut Mahometiſmus ſi CHRISTVS propheta dicatur: nec curant ipſi, ſi ſcriptura & antiquiores prophetam eũ appellent. Quærunt à me, an duas naturas in CHRISTO hypoſtatice unitas ponam. Sed quantum in hac re nomine Verbi pro natura delirent, & quantus ſit iſtius hypoſtatice unionis prophanus abuſus, apparebit infra. Pro nunc menti quæſtionis ſatisfaciens, dico, quòd tota Dei natura & eſſentia eſt in CHRISTO, licet ipſi unam in eo portionem pro natura Dei eſſe uelint.

Sicut Ebionitæ nudũ hominem ex ſemine Dauid

non eundem & Dei filium constituũt IESVM, ita uidetur eis nos dicere CHRISTVM quendam simplicem prophetam seu purum hominem, sicut quemlibet nostrum, nec aliter differentiam percipere possunt, nisi incarnatam quandam rem introducant, quam carnali & plus quàm prophana unionẽ toti humanitati & carni & ossibus & neruis copulari dicunt, ut ex hoc quàm plurimæ & stultissimæ quæstiones oriantur. Et sermones quos CHRISTVS locutus est, non de loquente intelliguntur, sed ad rem illam omnis gloria refertur, sicut Valentinus ad suos æones referebat, quasi CHRISTVS mentitus sit, aut sub fraudulento quodam uelamine de re separata locutus. Nec mihi de uno supposito aut una persona loquaris, postquàm clare uides hæc commenta, non esse ex scripturis, & his abusibus te deceptum cognosces in sequentibus. Potest ne esse maior calumnia, quàm si me loquẽte neges me esse, aut mihi conuenire neges, id quod ego mihi tribuo. CHRISTVS non loquebatur philosophis, qui de hypostasi essent iam eruditi, sed populo infantibus & mulieribus.

Vt igitur seclusis philosophorum imaginationibus ueri CHRISTI noticiam habere possis, attende qualiter isti plus quàm Ebionitæ uerum Christum

stium usq; ad humanitatem nudam expoliant, nec ele uant oculos, ut inenarrabilem eius de Dei substantia ab initio factam generationem attendant: nec eum totum patris diuinitate plenum, totum diuino lumi ne circumfulgentem. Utinam uidisses eius maiesta= tem in monte, dum uestimenta eius erant candida si= cut lumen, & resplenduit facies eius sicut sol, & di ceres cum Iohanne, uidimus gloriam eius. Sed si ne= mo scit quis sit filius nisi pater, quid hic discrutior? Cognitio eius est sapientia in mysterio recondita, quam si nouissent, nequaquàm dominum gloriæ cru cifixissent. 1. Corin. 2. Et si uis mysterium intellige= re, ipse est inenarrabilis illa uox Dei quæ locuta est ad Abraham, Moysen et alios, ipse est Verbum quod dedit præcepta ipsi Adam, & illud idem Verbum in quod peccauit Adam, remittit post peccata credenti bus. Nec miremini q; filius hominis sit, maiora his demonstrabit ei Deus opera ut uos miremini, Ioan. 5. Nam quis putas hic est, quia uentus & mare obe= diunt illi, cui tradita est omnis potestas in cœlo & in terra, & omnia quæcunq; habet pater, sua sunt, & ad sui æqualitatem sedere eum fecit pater à dex tris suis, & ipse filius, & hypostasis creatoris cum spiritu sit Deus, potens est animam suam ponere, & iterum eam sumere, quia Verbum Dei non moritur.

Hæc uerba tortuose ab eis aliò tra= huntur, quæ tamē euiden= ter pro no= bis probāt.

Nam postquàm non ad mensuram dat ei Deus spiritum, tantum est robur spiritus eius, ut omnia quæ de ipso dicuntur, supra hominem sint, & licet ipsi rem illam, sicut & hominem mortuam & passam esse dicant, & sic duos mortuos & crucifixos, ego tamen cum antiquioribus dico, quòd erat Deus & homo, hinc natus, inde non natus: hinc caro, inde spiritus: hinc infirmus, inde præfortis: hinc moriens, inde uiuens, & demum hominem deo mixtum concedunt antiquiores, quoniã Deus homo natus est Emanuel. Tamen Deus non moritur, sed homo: anima non moritur, sed caro. Quis non deridebit illam communicationem idiomatum, quæ facit me credere angelos Dei posse mori.

Hoc ipsi concedunt si corpus asininum angeli induant, & tunc angeli erunt asini.

Et nota hanc unam doctrinam Magistri, quòd omnia quotquot de CHRISTO sunt, uerba spiritus & uita sunt. Spiritualiter igitur est intelligendum, CHRISTVM esse Deum: nam sicut non dicitur homo sine carne, ita non dicitur Deus sine spiritu Dei. Et ita utriusq; substantiæ participem non magis si spiritum attendas, debes negare esse Deum, quàm negas esse hominem, quia id quod natum est de spiritu spiritus est, & spiritus est Deus, & quia spiritus eius erat totus Deus, denominatur ipse Deus, sicut à carne denominatur homo. Nec mireris quòd illum

quem

quem tu humanitatem uocas, ego ut Deum adorem, nam tu humanitatem sic quasi spiritus expertem tra ctare soles, carnem attendis & carnaliter iudicãs, non potes cognoscere qualis sit ille CHRISTI spi ritus qui dat esse rei, & ille est qui uiuificat, cum ca ro non prosit quicquàm. Hæc omnia solum sint tan quàm præludia ad inenarrabilem CHRISTI diui- nitatem (de qua infra dicemus) perueniendum. Ista pronũc sufficiant, ut cognoscas istos esse ueros Ebio nitas, qui hominem seu humanitatem nudam faciũt, & omnia quæ CHRISTO uero essent attribuen- da, ab ipso remouent, ut suo sensu philosophentur. Hoc solum nouit sua magistralis metaphysica, quòd CHRISTVS seu filius non est à Dei natura sepa- randus: ad quod, tametsi eorum sit commentum, re- spondebo, et respondẽdo peto, de quo CHRISTO seu filio loquuntur, nam illum, quem ipsi, siue filium siue CHRISTVM effingunt, ego nõ separo, quia nihil est: nam uerbum illud Iohannis erat olim, sed nunc non est tale uerbum, ut infra probabo, quòd Io hannes clare indicat, semper de hac re dicens, erat, nunquàm autem dicitur, est. Declarare igitur nullũ id quod nihil est, non est blasphemia in eis, tamẽ est magna & manifesta blasphemia: nam quem ego CHRISTVM dico, uere aliquid esse ipsi negare

De homine ipsi, quasi de pura carne loquuntur.

non possunt, tamen Christomachi facti, eum CHRISTVM esse negant, & hominem nudum, tanquàm longe à patre distantem, reijciunt. Ego igitur non separo eum à Deo magis quàm uocem à proferente, radium à sole, est enim CHRISTVS in patre sicut uox in proferente, & ipse & pater unum sunt, sicut radius & sol sunt una lux, mirabile enim est sacramentum quod Deum homini, & hominem Deo ita coniungit, & miro modo Deus CHRISTI corpus sibi appropriauit, ut esset peculiare suæ habitationis tabernaculum.

De Spiritu sancto iam dixi, Deum dare nobis Spiritum suum, eo solo, quia dat flatum uitæ. Ezech. 37. Non enim ex nobis, neq; ex nostra natura uita est, sed secundum gratiam Dei datur, & ex flatu Dei in materiam luteam efficitur homo in animam uiuentem, Gene. 2. Philosophi tamen sic credunt Deum elementis & stellis uirtutem suam cõmisisse, quasi ipse se expoliauerit, credunt nos ab ipso uento respirando conseruari, quasi à naturali proprietate, non consyderata gratia Dei, quod est ingratissimum mendacium, immò dicendum est, in illa quæ aspiratur & respiratur materia esse Deitatis energiam & uiuificantem spiritum, nam ipse spiritu suo nobis halitum uitæ sustinet; dans flatum populo qui est super terram,

&

& spiritum calcantibus eã, ipse mouet cœlos solus, educit uentos de thesauris suis, ligat aquam in nubibus cœli, dat pluuiam in tempore suo, ipse solus faciens omnia hæc faciens semper mirabilia solus.

Rudi Minerua, ut ad Spiritum Sanctum perueniamus, à spiritu Dei incipimus, hanc enim deitatis energiam non agnoscentes philosophi intelligere non ualuerunt, quorsum spiritus uenti, appellari posset spiritus Dei, Gene. 1. Nec curant ipsi, si deus de thesauris suis illum ad nos mittat, & per eum influat. Sciant ergo deinceps, quòd intra ipsam uẽti substantiam est ipsemet Deus agens, ecce in ore tuo, in spiritu tuo intra & extra est ipse Deus ita præsens, sicut si manu tangeres illum, Acto. 17. Agitatione spiritus eius aguntur uirtutes cœlorum. Res mortua est orbicularis materia, nisi à spiritu Dei agitetur. Philosophi hæc omnia concedunt, ilico tamen quod de spiritu Dei loquuntur, obliuiscuntur, quod in meipso ex eorum doctrinis satis sum expertus, sic de Dei concursu loquens, quasi habitatio eius sursum sit & nõ prope. Dum de spiritu Dei erat sermo, sufficiebat mihi, si tertiam illam rem in quodam angulo esse intelligerem. Sed nunc scio quod ipse dixit, Deus de propinquo ego sum, & non Deus de longinquo: nũc scio quòd amplissimus Dei spiritus replet orbem ter

rarum, continet omnia, & in singulis operatur uirtutes, cum propheta exclamare libet, Quò ibo Domine à spiritu tuo? quia nec sursum nec deorsum est locus spiritu Dei uacuus. Hæc de spiritu Dei, ad spiritum sanctum sunt præludia, nam sanctitatis ratio quæ actioni spiritus Dei additur, nihil philosophicum importat, agit enim spiritus Dei interius & exterius, sanctificatur uero quod interius est. Vnde notemus differentiam inter flatum & spiritum, nam flatus dicitur dum ab extra uenit, dum uero intus agens, spiritum hominis illustrat & sanctificat: sanctus dicitur spiritus, non enim dicimur accipere flatum, sed adueniente flatu spiritum accipimus, ut facto oris afflatu dicat CHRISTVS, Accipite spiritum sanctum, Ioan. 20. Ventus etiam à spiritu differt quia proprie in uento, tanquàm in materia, dicitur esse spiritus, in quantum est uiuificans uirtus: & uentus accipitur in malum, ut cum dicitur pestilens uentus & comburens. Sed cum mittit spiritū suum suauiter agit, spiritus etiam generalius nomen est quàm uentus. Ex his, materia de spiritu, prout ad uetus testamentum attinet, multum aperitur, nō enim cognosci potest spiritus uirtutis Dei sine instrumentis, quibus eius actio est inuoluta.

Differentia inter spiritū sanctum & spiritū dei.

Dixi superius quid aliud intelligi posse per paracletum

cletum illum, quod etiã ex eorũ dictis elicitur, nam apparitiones ignis dicunt esse quid proprium spiritus sancti, quæ tamen per angelos fiunt, ut cum apparuit Dominus Moysi in rubo Exo. 3. & Acto. 7. & per angelum facta est ibi uox Domini ad Moysen, ergo secundum hoc, uox Dei per os angeli nunciata dicitur uox spiritus sancti. Et Ioan. 1. Postquàm descendit Spiritus sanctus super IESVM, dixit, Amen dico uobis, uidebitis angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Et Isidorus ex eo quòd dicitur, annunciabit uobis futura, infert fuisse angelum, quia angelus interpretatur nuncius. Adde quòd omnes angeli dicuntur administratorij spiritus in ministerium missi, et facit angelos suos spiritus & ministros flammã ignis, Hebr. 1. Et hoc est illa flamma ignis quæ apparuit Actor. 2. Item, sicut spiritus mendacij dicitur angelus. 3. Reg. 22. & 2. Parali. 18. Ita per locum à contrarijs, angelus dicendus est spiritus ueritatis & spiritus sanctus, sicut & dicitur spiritus Dei, Apoca. quarto & quinto.

Est uerum quòd separatim fit in scripturis mentio de angelo & spiritu, quod enim fit exteriori apprehẽsione, locutione seu reuelatione, dicitur ab angelo fieri, quasi fieret ab aliquo uiro: quod uero fit interius, aut quasi per modum flatus seu columbæ,

quasi flatus, uolantis, dicitur esse ab spiritu. Ex quo nota, quod nec apparitio ignis in rubo, nec apparitio nubis appellatur unquàm spiritus sanctus, licet æque bene fuerit ibi ministerium angeli, ratio differentiæ, quia ibi non apparuit per modũ flatus, modo id quod nõ est spiritus, nõ potest dici sanctus spiritus.

Modos apparitionum consyderat scriptura.

Similiter discrimen est inter Spiritum sanctum & spiritum Dei, quia sanctus dicitur, dum ad sanctificandum spiritum nostrum mittitur, ut infra dicam. Sed spiritus Dei dicitur, dum mittitur in omnem terram. Apocalyp. quarto & quinto.

Item nota esse Deitatis personam, quod angelus loquens dicat, Ego sum Deus patrum tuorum: sicut & Gene. 31. dixit angelus ad Iacob, Ego sum Deus Bethel: dicitur enim nomen Dei esse in illo, Exod. 23. Et audiendo, inquit, uocẽ eius audies ea quæ loquor. Vnde Origenes super Genesim Homelia. 8. ex sententia capitis 22. Puto, inquit, quod sicut Dominus inter nos homines habitu est repertus ut homo, ita inter angelos habitu est repertus ut angelus, quod dictum licet ad mentem eius, falsum sit, quatenus tamen ueritatis habeat respectum, infra dicam.

Hæc ad nostrum propositum eò conferunt, ut intelligamus mirabiles esse Dei dispositiones, quæ per angelos fiunt, ne alicuius animus exasperetur, si an-

gelum

gelum, sicut & exteriorẽ flatum Spiritum sanctum appello, cum ipse se Deum appellet. Nec ei est spiritus sanctus nomen naturæ, magis quàm elementari flatui. Angelus etiam nihil aliud est quàm Dei flatus. Psal. 103. & hoc ipsum Hebræis spiratio & spiritus dicitur, originaliter ergo soli Deo conuenit, spirantis & sanctitatis ratio. Sed instrumentaliter attribuitur flatui, quo ipse pro nuncio utitur, & omnes quotquot in scripturis de spiritu sancto sunt sermones, essent faciles, si intelligeremus qualiter spiritus illi sunt in Deo, & quod nomen & energia Dei sit in eis, de quo infra.

Vt clarius Spiritum sanctum designemus, uideamus, quomodo spiritus etiam à filio procedat, spiritum enim nobis dat dicendo, Verba quæ dedisti mihi dedi eis, nam ex uerbo est spiritus, & uerbis eius in nobis manentibus, fluit ex nobis spiritus tanquàm flumina aquæ uiuæ. Vide etiam Magistri rationem, Iohan. 16. De meo, inquit, accipiet, & annunciabit uobis, omnia quæcũq; habet pater, mea sunt, propterea dixi, quod de meo accipiet. Et dum dicitur, procedit, græce est ἐκπορεύεται, quod aliqui proficiscitur potius quàm procedit, dici uolunt. Similiter & egredi significat: & omnes quotquot missi sunt à deo nuncij, dicuntur egredi à facie eius, & etiam procedere

Sophistice omnes de hac processione loquuntur, at interpretationẽ ex alijs locis scripturæ non petũt sed à metaphysicis.

& proficisci, quod ex multis alijs scripturæ locis, ubi eadem ponitur græca uox, possem comprobare, imò dum homo aliquò proficiscitur, id ea uoce significatur, uerum ipse require, nam scriptura seipsam candide interpretatur, si loca locis recte conferas: nec alij scripturæ loci metaphysicas illas & interiores rerum emissiones tibi indicabunt, sed uisibili persona à patre proficiscens, CHRISTO mittente, ad Apostolos uenit, & CHRISTVS mittit, haud secus quàm si ego de uisceribus patris mei aliquid extrahens, fratribus meis impartirer, & hoc est quod dicit CHRISTVS, Quem ego mittam uobis à patre Ioan. 15. & mittitur à deo per IESVM CHRISTVM ad Titum 3. Omnia enim nobis à patre dantur, per IESVM CHRISTVM tamen. Et Petrus Acto. 2. hoc ipsum declarans, Promissione, inquit, spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc donum quod uos uidetis. Et in hoc concordat Psalmista cum Paulo, ascendens in altum, dona accepit & dedit, accepit à patre & dedit hominibus. In Petri enim dicto est clara concordia, & dixit CHRISTVS illum à patre esse, quasi indicet, non fore spiritum impostorem, sed à Deo, sicut dicit Iohannes, probate spiritus an ex Deo sint, uerba enim Magistri doctrinam exhibent, potius quàm philosophicas

pugnas

pugnas. Nihil aliud metaphysicū ibi CHRISTVS indicat, nisi quòd sæpe hebraice dicitur, ponam spiritum meum in medio uestri, misit spiritum suum, & exiuit spiritus à Deo, tamen nihil aliud exierat, nisi exterior aliquis flatus. De his hebraismis, qui errare eos fecerunt in uerbo, dicam libro 7. Sicut enim Verbum à Deo proficiscitur, quando ipse loquitur, ut aliquid alicubi fiat, ita spiritus eius aliquò ab eo proficiscitur, quando alicubi aliquem effectum spirat. In summa, sic expone, qui à patre proficiscitur, id est, quem pater dat, docet ibi magister ut spiritum à patre oremus, quia ipse est pater spirituum, & nisi ipse dederit spiritum, nihil omnino lucis in nobis est: & spiritum à patre esse docet CHRISTVS, dicens, quòd ipse dat spiritum bonum petentibus se, copiose enim & affluenter eum effundit, Ioel. 3. & ad Titum 3. Item si claris oculis legas, uniuersa Christi uerba sunt de spiritu quem missurus erat in Apostolos Acto. 2. Stultissimaq; res est æternales æonum processiones ex illis uerbis inferre, & in Cabalistica illa metaphysica insanire. Sed alijs consyderationibus hæc res absoluitur. Prima, quod dispositio uirtus & donum à Deo est. Secunda, quòd res ipsa ueniens est nuncius, seu administratorius spiritus à CHRISTO missus. Tertia, quod in eo nuncio est

hypostasis ipsa, seu character diuinitatis, ut infra dicam. Quarta, quòd ad spiritus nostri sanctificationem hæc omnia tendunt. Ille tamen qui ita uisibiliter proficiscitur, qui à seipso non loquetur, qui de Christo accipiet, uere administratorius est spiritus, aut nullus est in cœlo administratorius spiritus: & ille idem, Spiritus ueritatis, & spiritus sanctus uocatur, & per consequens, sicut de exteriori flatu diximus, multo fortius de administratorio spiritu. Non est mirandum, si ad aliquod opus à Deo segregatus, spiritus sanctus & spiritus Dei dicatur: nam à profundioribus Dei thesauris isti proficiscuntur, & singulariori longe modo, Deus suis actionibus eos sibi appropriat. CHRISTVS etiam sanctos, angelos sæpe uocat. Si ergo Spiritus est, quo Deus utitur, & sanctitatis ratio ei conuenit, quare non dicetur spiritus sanctus. Et ut paucis agam, omnis flatus, omnis spiritus, & mentis impetus, per quem Deus spirat, sanctus dicitur, & ex consequenti, Sanctus spiritus, seu spiritus sanctus, seu spiritus Dei. Nec est alia breuior illius uocis acceptio, nec est unica dictio, sed duæ, sanctus, & spiritus: & græce interdum scribitur, sanctus spiritus, interdum, spiritus sanctus: immò hebraice, Spiritus sanctitatis dicitur. Hoc saltem cõtra eos prodest, qui duritiem consuetudinis suæ ita seruant,

ut

ut uocula una mutata, scandalizentur. Et uellem, ut suam metaphysicam, loquendi consuetudinem, deponerent, quod cœlestes spiritus consyderarent, non secundum rei naturam, quia de hoc nunquàm meminit scriptura, sed in quantum in eis character diuinitatis relucet, ut omnia tandem ad gloriam Dei tendãt. Ideo enim dicũtur animæ Dei, & spiritus Dei, ipsaq; angelorum nomina hoc indicant, cum nihil aliud de eis à nobis percipiatur, nisi Dei uirtus, medicina dei, quis quasi Deus, & nihil aliud nisi splendorem hypostasis Dei præ se ferunt, licet ad nostrum ministerium sint destinati.

Scriptura nunq̃ naturas consyderat.

Ex his mihi facilimum est alium paracletum dicere, & uere alietatem rei dico, absolute enim de re distincta, dixit, De meo accipiet, & alius & aliud à CHRISTO dicitur, nisi forte sic capies aliud, ut dissonantiam notet, nam tunc non concedam consolatorem spiritum esse aliud à CHRISTO, immò unum sunt.

In hoc sensu testificatur spiritus sanctus, quod supra reticui, quia spiritus descendẽs super CHRISTVM in Iordane, expressum testimonium Iohanni perhibuit, expresse testatus est hunc IESVM esse filium Dei, quem tu negas esse filium Dei, & ad id probandum, eius testimonium citauit Iohannes,

& hi tres unum sunt, quia concordant, & unum sunt, quia unius & eiusdem diuinitatis insignijs decorati. Ecce singulare illud, unum, quod quærebas, & singularissimo modo dicuntur unum esse, quia est in tribus una & eadem deitas. Et sic concedo, aliam personam patris, aliam personam filij, aliam personam spiritus sancti: & concedo patrem, filium & spiritum sanctum, tres in una deitate personas, & hæc est uera trinitas. Sed uoce scripturis extranea uti nollem, ne forte in futurum sit philosophis occasio errandi, & cum antiquioribus, qui ea uoce sanè usi sunt, nihil mihi quæstionis est, modo hæc trium rerum in uno Deo blasphema & philosophica distinctio à mentibus hominum eradicetur.

Per hæc soluitur alia ratio, qua multi formidãt, scilicet, quare usus uocis spiritus sanctus est frequentior in nouo testamẽto quàm in ueteri. Nam ex hoc uidetur eis noua illa res de nouo reuelari, etiam quia addita singulari nota dixit CHRISTVS, Paracletus ille, spiritus ille, Ioan. 14. & 15. Respondetur ad primum, quòd illud non ideo est, quia in nouo testamento aduenerit Deus recens: nullus est enim alius Deus nisi Deus patrum nostrorum יהוה & ille est pater IESV CHRISTI. Et ratio differentiæ quam petis, ea est, quia Iudæi de sanctificando

spiritu

ſpiritu, de quo nos agimus, non curabant. Ideo nec ſpiritum ſanctum ſciebant, nec an ſit ſpiritus ſanctus audierant, Acto. 19. Nam apud ipſos agebatur ſolum de materiali quadam ſanctificatione quæ per exteriores unctiones & tactus fit, ut res quæ tetigerit, ſanctificata dicatur, Exo. 29. & Leuit. 6. Sed nunc ungenta noſtra & ſpiritales hoſtiæ habent maiorem ſuauitatis odorem quàm ſaginatæ eorum uictimæ ſiue holocauſta, quæ tunc odorabat Deus: & hæc differunt ab illis ſicut ſpiritus à litera, ueritas ab umbra. Agimus enim nos de interiori unctione & ſanctificatione quæ in ſpiritu & ab ſpiritu fit, ideo ſanctum dicimus ſpiritum, & nos omnes ſancti ſumus: & in nomine ſpiritus ſancti ideo baptizamur, ut legi mortui & carne ſepulti, de ſola ſpiritus ſanctificatione ſemper memores ſimus. Et licet illi, quum de ſpiritu agitur, exteriori illo flatu contenti ſint, tamen in teſtamento nouo diuerſa eſt de ſpiritu ſancto conſyderatio, quia cum ſemper de interiori ſanctificatione agamus, ſpiritum ſanctum, prout in nobis eſt, & nõ prout ab extra uenit conſyderamus. Sed in teſtamento ueteri flatus ille ab extra ueniens, ſpiritus ſanctus ſeu ſpiritus Dei uocatur. Et dum petitur ſpiritus, ipſi exteriorem ſpiritum intelligere poterant. Nos uero dum illud petimus, mentis illuſtrationem intelligi-

mus, consuetudo igitur scripturæ & intentio, est in his attendenda, quas differentias nota, nam illi exter no modo semper de rebus agebant, ipsi uocabant spi ritum Dei, nos uero semper uocamus spiritum san= ctum, ea differentiæ ratione quam dixi, quia sanctita tis ratio nondum erat spiritui addita. Nec uox spiri= tus, nec uox sanctus, sunt nouæ. Sed alia erat olim spi ritus consyderatio, & alia sanctitatis ratio quàm nunc: caro tunc sanctificabatur, nunc uero spiritus est sanctus. Et hoc notant illæ uoces simul iunctæ, & sanctitatis ratio spiritui additur. Ex his patet, nõ esse rem separatam, sed omnis sanctitas spiritus ad hominem refertur, & nuncio excepto qui descen= dens dicitur spiritus sanctus: dico, quod nihil aliud extra hominem dicitur spiritus sanctus, recteq; dixit Ioãnes, Nondũ erat spiritus sanctus, Ioan. 7. licet ipsi nolint illa uerba sic stare, sicut Deus illa protulit, quasi Deus suo mendacio indigeat. In ipso enim actu dationis dicitur spiritus sanctus, nec dicitur esse an= tequàm detur: & nunc dico, q; spiritus sanctus non= dum est, nullibi est, quia nullus credit IESVM CHRISTVM esse filium Dei. Hæc enim proba= tio est ibidem ualida.

Nec te torqueat, q; adiecto articulo dixit CHRI STVS, paracletus ille, nam si aliquem de meis nun

cijs

tijs ad te mittere, certo tempore decreui, dicam tibi, nuncius ille quem ego mittam de domo patris mei erit homo uerax, aut tale quid faciet. Item, si ad superiora referas, sensus uerborum CHRISTI est clarissimus. Dicit enim nuncius ille, quem scilicet ad uos mittendum dixi, ille uos docebit: & iste sensus est ita familiaris, ut à puro grammatico intelligi possit. Nam postquàm CHRISTVS uice sui alium ueracem eis futurum consolatorem dixerat, adiecit post, consolator ille, scilicet, de quo dixi, non est homo aliquis, sed est à patre segregatus spiritus, ad uos omnia docendum mittendus. Adde quòd articulus græcus non habet tantam uim, sicut pronomen relatiuũ, ut rem illam ibi demonstrari putes. Item, ibi fuit singulare nuncij officium, & singularis diuinitatis aspectus, seu persona. Ideo singulari articulo & speciali nota designari potuit, quia nunquàm, nec in prophetis, nec in alijs simile uisum est.

Finaliter, si spiritum uerbo comparare uolumus, dicamus, quòd sicut dicitur Verbum ex utero & ex corde proficisci, ita spiritus noster è penetrabilibus cordis sui nobis à Deo datus dicendus est: & dicitur Deus dare nobis spiritum suum, ac si ego dicerem, do tibi uiscera mea, quæ res maximam eius erga nos charitatis uim exprimit, Roma. 5. & 1. Ioan. 2. & 3.

Præterea, ſicut Deus *eſt totus logos, ita eſt totus ſpiritus, & ſicut cogitãdo loquitur, ita loquendo ſpirat, & mandat per imperium uirtutis ſuæ: & propterea dicitur uerbo eius & ſpiritu eius omnia eſſe facta, quia ipſe dixit, et ſpiritus ſui uirtute fieri iuſſit.* Sicut *uerbo creauit, ita ſpiritu ſuo ornauit & roborauit: & ſicut in producendo res uerbo ſuo non arguitur rerum pluralitas, ſed ipſe dicit et fiunt.* Ita *in ornando, fortificando, & uiuificando res ſpiritu ſuo non eſt arguenda, nam ea quæ uerbo loquitur, uirtute ſpiritus imperat: & ſicut eo ipſo quod dixerit res adeſt, ita eo ipſo quod uirtute ſpiritus iuſſerit, res ſtat perfecta, propriũ enim ſpiritus* Dei *eſt uiuificare et roborare: & ſicut nulla res ſine* Verbo *eius fit, ita nulla eſt res, nec lapis nec herba, quæ ſine ſpiritu dei uirtutem aliquã habeat.* Item, *omne quod in uirtute à* Deo *fit, dicitur eius flatu & inſpiratione fieri, non enim poteſt eſſe prolatio uerbi ſine flatu ſpiritus.* Si*cut nos non poſſumus proferre ſermonem ſine reſpiratione, & propterea dicitur ſpiritus oris & ſpiritus labiorũ.* Ex *his ſatis oſtenditur, ſpiritũ* Dei *non eſſe in nobis rem illam creatã, ut uolebat* Eunomius, *nec eſſe rem illã metaphyſice diſtinctã, quã nos imaginamur.* Et *ut latius hoc intelligas, nota q̃ licet tempore legis angelus dicebatur ingredi & egredi hominem*

minem, & esse in prophetis, tamen nobis per Emanuelem ipse met Deus inhabitat, sicut scriptũ est, Inhabitabo in eis, per CHRISTVM nos facti sumus cœlũ. Item, Iudæis angeli erant pro Deo, ut secundũ literam legis permixte de se & angelis dicat Deus, Ecce Adã quasi unus ex nobis, faciamus, & nostrã. Angelus etiã eis loquens dicebat, ego sum deus, quia inuisibilis deus, qui per Christũ nobis manifestatur, eis per angelos manifestabatur, seu potius latebat, angelica pelle coopertus, quasi cortina, nec est nunc angelus qui nobis dicat, ego sum deus, imò oẽs sunt ministri CHRISTI, imò sub Christi typo, ut infra probabo, illi dicebantur dij. CHRISTVS enĩ est uerus Deus, cuius deitatis umbra, & nõ ueritas erat in angelis. Dico igitur, ꝙ ipsemet deus est spiritus noster inhabitans in nobis, & hoc esse spũm sanctum in nobis ex dicto prophetæ indicat Apostolus dicẽs, spiritũ Dei in nobis, quia dixit Deus, Inhabitabo in eis, & Deum contemnit, nos contẽnens, quia dedit spiritum suũ in nobis, & qui mentitur spiritui sancto, nõ hominibus mentitur, sed deo. Et in hoc nos testificamur, ꝙ est in spiritu nostro efficax quædã & latens energia, quidã cœlestis sensus, & diuinum q̄d latens, nam cũ ipse ubi uult spirat, uocẽ eius audio, sed nescio unde uenit, aut quò uadat, et sic est omnis qui natus de spiritu, Ioan. 3.

Ezech. 2. et 3.
Zach. 1. & 2.

Nouam Dei in nobis habitationẽ hæc prophetia designat.

Prout percipitur capit scriptura spiritum sanctũ & non metaphysice.

LIB. III.

VERBVM caro factum est, Ioannis est illustre preconium, quod in scrutandis CHRISTI arcanis semper est præmittendum, ex quo facile intelligimus, Antequàm Abrahã nasceretur, ego sum. Ego enim sum illud Dei oraculum quod ante Abraham prolatum & manifestatum, ab ipso Abraham est auditum & uisum, uoce enim uisibili ante Abraham, imò ante Adam prolata. CHRISTVS iam ab initio egreditur ex ore Dei, de quo æternitatis exitu Mich. 5. Ex te mihi egredietur dux, egressus eius ab initio à diebus æternitatis, ille qui in principio genitus est, ante Abraham genitus dici potest, imò ante luciferum genitus dicẽdus est: & nota semper uerba magistri magistralia, nota præsentialem essendi modum, ne temporum differentijs in deo distinctis decipiaris, quia non dixit, antequàm Abraham nasceretur, fui seu fueram ego, quasi caro, sed ego sum: quasi dicat, meum esse ante Abraham cœpit esse, quia suũ esse ex paterna prolatione in principio facta essentialiter dependet. Et ita Ioannes dicit quòd ipse ab initio est, 1. Ioan. 2. Et ipse est ante omnes, Coloss. 1. quia suum esse ab initio est, & isto modo dicit ipse se à patre exisse, & in mundum uenisse,

nisse, quia suum esse & egressus eius à paterno pectore æternale initium habet. Sicut apud Legistas quis dicitur mortuus à die illati uulneris q; sibi mortem causauit. Ita Dei filius IESVS dicitur natus & genitus à die prolati Verbi, à quo omnem essendi modum essentialiter habet, & filius Dei factus est filius hominis, quia æternaliter ex Deo natus, temporaliter post ex homine nascitur, licet nõ sit nisi una res. Quid etiam, si concedo, filium Dei induere carnem, aut si uelis, incarnatum, nam & Paulus de terreno suo tabernaculo loquens, expoliari & superuestiri se dicit, quia in uirtute spiritus, ita secundum interiorem hominem loquitur Paulus, quasi sit quædam res alia quæ carnem tanquàm uestimentum assumit & deponit. Similiter Iob 10 Pelle & carnibus uestisti me. Ergo longe clarius & sine proportione facilius, de CHRISTO hoc uerificatur, nam spiritus est qui loquitur, qui in CHRISTO sine mensura est. Hanc similitudinem accipe, si potentia mihi daretur, ut uice seminis uiri, per oris flatum in muliere filium generarem: tunc si emisso flatu, ego recederem, dicere mulieri possem, filium genui, filium in te relinquo, qui, ueniente temporis plenitudine, factus homo, ex te nascetur. Et licet ista sit inepta dicere, meus flatus est filius, imò, uerbum meum erit

mihi filius, tamen ratione ſeminalis uirtutis tunc genitum filium dicimus, non quòd fuerit realis generatio flatus illius ſeu uerbi à Deo prolati. Sed externa illa uerbi prolatione facta eſt carnis generatio.

Craſſæ iſtæ ſimilitudines tibi forte uidebuntur. Sed ne mireris, infirmiores oportet lacte potare, tibi autem in ſequentibus erit ſolidus cibus.

Ex his intelligitur, id quod Ioannis primo dixit præcurſor Baptiſta, Hic eſt de quo dicebam, qui cum me ſequeretur, ante me factus eſt, ille enim prior me erat, & de eius plenitudine omnes accepimus. Et ſic ponitur ὅτι principium ſequentis orationis, nec poteſt eſſe ſenſus, ante me factus eſt, quia prior me erat: ſed ſenſus eſt, hic eſt de quo dicebam, qui poſt me ueniens, iam olim ante me factus eſt. Et iterum, hoc quaſi repilogans & declarans addit, quoniam prior me erat, & eius gratiam omnes accepimus: nec uox ὅτι apud Ioannem facit ita crudam cauſalem, totumq́; eius euangelium plenum eſt illa dictione, nec ſolet ipſe aliter capere, immò in eodem capite pluries eam repetit dicens, hoti prior me erat, hoti lex per Moyſen, hoti non ſum ego, hoti prior me erat, hoti uidi ſpiritum, hoti hic eſt filius Dei, & mens Iohannis ſatis explicaretur dicendo, quippe prior me erat, quandoquidem ſiquidem prior me erat, & ego neſciebam

nesciebam, licet etiã per dictionem, quoniã, optime legatur. Item illam causalem non esse illius dicti causam, infra ostendit, repetens illud dictũ sine illa causali, & iterum hoc repetit inferius dicens, testificatus sum quòd post me ueniet uir, qui iam olim ante me factus est, & huius testimonij rationem postea reddens, addit, quoniam prior me erat & nesciebatur, ac propterea testificatus est mihi spiritus ut manifestetur in Israhel. Sæpe ex hoc tam aperto Iohannis testimonio te exhortatus sum, ne IESVM CHRISTVM neges esse filium Dei. Collige etiã hic ualidum argumentum, ut tibi dicant, quis est ille qui iam olim factus est, uanissima est enim Arrianorum, & aliorum super illo dicto contentio, & res alias alij philosophantes, seipsos confundunt, ab eis omnibus hoc unum petere uoluissem, an hæc quam retuli CHRISTI generatio ab initio facta uideatur eis esse diuina, an potius humana? Si ergo uere diuina est, ad quid, philosophantes alias inter deos generationes quærunt. Si IESVS ille Nazarenus, quem scriptura prædicat, ea generatione ita magnifice genitus est, ille qui genitus est, filius dicetur. Ergo de nihilo prodest alium filium philosophari: nam hic clare uides hunc esse illum Melchisedec, cuius generatio erat hominibus ignota, Hebræ. 7. Et ex ge-

Nota hæc duo, Factus, & Olim.

nerationis modo cognoſcitur quis ſit ille filius. Vide quò tendat ille Matthæi ſermo. CHRISTI autem generatio ſic erat, an loquatur de generatione illius ſecundæ rei? an potius generationem hominis, quæ occulta erat, nobis aperit? Ergo ille qui genitus eſt, filius dicetur, nec generationem alterius rei in ſcriptura leges, genitum eum clare uides, & à ſolo Deo, & negas eum eſſe filium Dei.

Hic distinctionem habēt in promptu, ſed alterū generationis membrum nō probant.

Ex his clarus redditur ille hactenus difficilis locus, Ioan. 8. ubi Magiſter dixerat ſe eſſe, & niſi credideritis quod ego ſum, moriemini, & Iudæi, hoc eius eſſe, ſcire uolentes, interrogāt, tu quis es? quem teipſum facis, qui te eſſe dicis? Reſpondit IESVS, τὴν ἀρχὴν, hoc eſt, à principio ſum, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, quaſi dicat, à principio ſum utcunq; & loquor uobis, & dictio ὅτι ex abundanti ſolet aliquando poni, à principio ſum, & loquor uobis, ſeu ibi admirandi cauſam exhibet, quaſi dicat, quo pacto poteſt hoc eſſe, nam utcunq; uobis loquor, tamen à principio ſum, & hic eſt modus loquendi, ut attentius, qualiter hoc ſit, conſyderemus. Et ita CHRISTVS magiſtraliter eis loquitur, ut eorum rudes animos excitaret. Obſtupeſcite igitur & miramini, quia ille qui loquitur ab initio eſt, & iſte eſt uerissimus intellectus uerborum CHRISTI, qui conſe-

quenter,

quenter loquitur, semper declarans, se esse, ante omnes esse, de supernis esse, à patre missum, & ad hoc infra repetit, antequàm Abraham nasceretur, ego sum: & licet non sit uox latina, quæ plene significatum dictionis ὅτι euacuet, tamen sensus est, à principio sum quippe, & loquor uobis, à principio sum, utcunq; & uobis loquor. Et ita solebat ipse dicere, Ego sum qui loquor tibi, & qui loquitur tecum ipse est. Ita clare & intelligibiliter de se testificabatur, ut sit plus quàm cæcus, qui non uideat, & hoc est mirabile in oculis nostris, ut cum Pharisæis excæcati non intelligamus eum qui loquitur ab initio esse, non uidemus hunc esse illum Melchisedec, qui nec initiū dierum, neq; uitæ finem habet: clare enim indicat ibi CHRISTVS se non habere initium dierum, imò ante omnes dies ab initio esse. Si adhuc cum Pharisæis obijcias, quinquaginta annos nondum habes & Abraham uidisti, mendacem eum facis, nam uide quis est qui loquebatur: clarum est quòd de se, & nō de secunda illa re loquebatur. Vide quomodo concedis quòd Abrahā uidit dies CHRISTI, absq; hoc quòd rem aliquam in ipso Abraham hypostatice unitam ponas, nam si dicas quòd spiritu uidit, proportionabiliter potuisses dicere quòd CHRISTVS in spiritu Dei fuit prior quàm Abraham, nam & ha=

bens ſpiritum mundum potuiſſet dicere, Antequàm *Abraham naſceretur,ego ſum,quaſi non homine,ſed ſpiritu ipſo loquente.* Ergo *multo fortius potuit illud de* CHRISTO *uerificari, nam* CHRISTVS *in ſpiritu* Dei *præceſſit omnia tempora.*

Hic ſpiritus CHRISTI,*eſt æterna* Verbi Dei *uirtus,ſicut dicitur* Hebræ.9.*qui per ſpiritum æter= num ſeipſum obtulit, eodem modo de æterno* Chri*ſti ſpiritu loquitur* Petrus *cap.*3.*epiſtolæ primæ dum dicit, uiuificatus ſpiritu,in quo & ſpiritibus qui erãt in carcere,ueniens prædicauit.* Q*uem locum hic explicabo, quia multum ad* CHRISTI *cognitio= nem conducit.* A*lij aliter intelligunt,tamen ego, niſi ex aliarum ſcripturarum collatione nunquàm pro= prium intellectum meo ſenſu auderem aſſerere,præ= cipue, quia ibi* Petrus *ad dictum* Geneſis *manifeſte ſe refert,&* Rab Moyſes Aegyptius *libro* Perplexo*rum primo,cap.*28.*cum* Petro *concordat,enarrãs qualiter generatio tempore diluuij rebellauit.*Et Sa*pientiæ* 10:*dicitur, cum ſe nationes extuliſſent.* Hoc *ipſum eſt quod* Petrus *inobedientes & rebelles di= cit.* Et Petrus *ibi* CHRISTI *ſpiritum uirtutem æternam oſtendit, &* CHRISTVM *fuiſſe olim ſeruatorem per aquam, ſicut nunc per baptiſmum: nam &* Magiſter,*à quo* Petrus *id accepit, in* Euan=

gelio

gelio dies Noæ sibi comparat, & apostolorum prædicationes non transgrediuntur limites uerborum Magistri, ideo enim discipuli uere dicuntur. Nos tamen impudenter utrosq; nostro sensu transgredimur, nec aliquid habemus quòd CHRISTI *discipulos sapiat.*

Sicut igitur Deus *egressus est in* Aegyptum, *iuit & transiuit per medium* Aegypti, *primogenitos interficiendo.* Ita *tempore* Noæ *transiuit per medium mundi, & sic profectus in eos sententiam protulit.* Transiuit *dico, oraculo suo, faciendo eis mala quæ locutus fuerat. Quod translator noster dicit, prædicauit, græce est* ἐκήρυξεν *quod præconizare significat, id est, promulgauit decretum, notam fecit eis, sicut &* Pharaoni *potentiam suam.* Pro *hoc facit, quod in sequenti epistola ab eodem* Petro, *de eadem re loquente eiusdem significationis uox repetitur, dicens,* Noæ *iusticiæ præconem, nam* κήρυκα, *quod noster, preconem interpretatus est, proprie caduceatorem significat, qui est legatus temporibus belli, & sic* CHRISTVS *eis bellum indixit.* Item *nota uerbum iusticiæ, fuit enim ibi iudicium.*

πορευθεὶς, *id est, profectus cum uenisset, cum iuisset ad eos puniendos, sicut solet ipse dicere, ueniam, transibo, descendam, loquar super eos, faciam*

ſicut locutus ſum. Senſus igitur eſt, quod profectus proclamauit, ſeu locutus eſt eis iudicium. Et hoc eſt quod dicitur, condemnauit mũdum, Heb. undecimo. Similiter contra Aegyptios gentem, cui ſeruierint iu dicabo ego dicit Dominus. Et in hoc ſenſu capitur lo qui iudicium. Hiere. 1. & 39. & 4, Reg. ultimo. No tabis mirabilẽ ſpiritus Petri interpretationem, nam omnes illi motus יהוה *omnes quas unquàm in le ge reperies eius actiones, dum uidebat, loquebatur, ibat, ueniebat, tranſibat, deſcendebat, & operaba‑ tur, erant motus Elohim, erant CHRISTI in Deo perſonales actiones, quia tunc CHRISTVS erat apud Deum. Hoc ad dicẽda ſeruiet, & infra clarius intelliges omnia iſta: iam ab antiquo, CHRISTO tribuit Habacuc cap. 3. dicens, Elohim à meridie ue‑ niet, ille terram alijs gentibus dedit, contriuit montes longi æui, incuruari fecit colles ſeculi, itinera æter‑ nitatis ei, itinera, inquam, quia iam ab æterno itine‑ rat, uenit, & ſuper omnia trãſit, & uoci* הליכות *conuenit quod Petrus dixit,* πορευθεὶς *idem enim ſignificat* הלך *&* πορεύομαι.

Quod, ſpiritibus, dixit Petrus, cogitationes eo‑ rum notat, à malis ſpiritibus oppreſſas. Vidit Deus quòd omnis cogitatio cordis eſſet ad malum inten‑ ta, ſicut Paulus, dum erat quæſtio, de captiuandis co

gitatio‑

gitationibus hominum ad obsequium CHRISTI, dicit esse pugnam aduersus spiritus nequam, qui reproborum mentes tenent captiuas. Et sensus est, Illis in carcere spiritibus, id est, qui spiritali carcere tenebantur, seu quorum spiritibus erant in carcere, schematice enim locutus est, sed non sine magna emphasi, & spiritus uocans, alludit ad id quod angeli uocabantur. Sed erat spiritualis carcer, & à malignis spiritibus facti contumaces, malignus enim spiritus secundum Paulum, est spiritus agens in filijs con tumacibus, Ephe. 2. Ideo enim illi dicuntur fuisse re belles & contumaces. Nota etiam, quòd uocis φυλακῆ significatio habetur ex uerbis Magistri, ad cuius dicta est semper recurrendũ, ponitur enim Matt. 24. Eadem uox, & est eadem materia, de qua hic & ibi fit mentio, & ut Valla ibi notat φυλακή est custodia noctis, cum fures ueniunt & homines dormiunt, & tunc spiritus immũdi imperant. Et ita Apoca. 18. tam de spiritibus quàm de phylaki fit men tio. Illi igitur miseri angeli atra nocte dormiebant, & tanquàm fur eos repentinus cœpit dies, innuit CHRISTVS & etiam Petrus, quòd nocturnus in eos irruit catachlysmus, nam hoc ipsum est nostrorum carcer spirituum, hora & potestas tenebrarum, in noctis etiã silentio primogenitos in Aegypto

interfecit, & ibidem φυλακῇ, pro nocturna obseruatione capitur, Exod. 12. Nota qualiter CHRISTI sermo cum eo, quod de Noe dixerat, contexitur, & qualiter uerba Petri respondent. Spiritibus ergo improperat, quia non uigilabant, ut CHRISTVS præcepit, & spiritibus in noctis custodia dormientibus, quasi repentinum fulgur nō dat euigilandi spacium. Sunt etiam aliæ circumstantiæ quæ in causa fuerunt, ut Petrus de spiritibus loqueretur, scilicet ex modo loquendi literæ Genesis, quem Petrus seruat, nam ibi dicitur, Percussit omnem animam, omnem spiritum à medio sustulit. Item dixit Deus in corde suo, Et tactus dolore cordis intrinsecus, uidens cogitationes intentas ad malum. Sententiam spiritu suo protulit, dicens, Auferam spiritum eorum. Proprie enim homine dormiente, dicitur ab eo spiritus auferri, præcipue quando fit suffocando, ubi intrante aqua anhelitus extinguitur, & sic in spiritibus sententiam executioni mandauit. Sicut & in spiritibus erat sopor nocturnæ philakis, quorum utrunq; pulchre comprehendit Petrus.

Vtinā nobis esset tantum studiū modos loquendi scripturæ seruandi.

Ex quo discamus, quòd fortissimus dominator spirituum uniuersæ carnis, dum non cogitamus, seu dormimus, in spiritu operatur, quod nostris temporibus est accommodatissimum, nam omnes in philaki dormiunt

tiunt:nec sine causa CHRISTVS & Petrus no-
bis hoc refricant, qd enim hodie in superficie terræ
uidemus,nisi filios Elohim,filios magnatum, adulte
rinos ecclesiæ pastores,omnes uanis cogitationibus
ductos:qui sicut & illi comedunt,& bibunt,& luxu
riæ uacant, non est qui CHRISTVM requirat,
& dicunt, errare non possumus.

Videtur in dictis contrarietas, quomodo dixit
Deus,Spiritus meus in homine,si malignis spiritibus
ducebantur,ad hoc dicendum quòd spiritus hominis
semper,aut spiritum Dei,aut spiritum diaboli sesso-
rem habet,& super hoc contingit digladiatio : nam
etiam si à malo spiritu agitemur, semper tamen spi-
ritus Dei nos aliquando monet, & quum uidet nos
incorrigibiles, ait, Non contendet spiritus meus in
homine, quia caro est. Et hoc ibi sonat hebraice,
לא ידון id est,non iudicabit, non litigabit spiri-
tus meus in homine & æternum. Sed semel & diffi-
nitiua sententia tũc fuit,& hoc est quod Petrus dicit
ἐκήρυξεν ,omnia enim si cõferas, summe concordãt.

Paulus Ephe. 3. Coloss. 1. prima Corin. 8. & He-
bræ. 1. & 2. dicit quòd Deus per IESVM CHRI
STVM filium suum uniuersa condidit,cuius rei in
tellectum, oportet inquiramus, tortuosissima enim
est eorũ interpretatio,qui per secũdam illam rem fa

cta esse secula intelligi uolunt, cum uniuersus Pauli sermo de homine IESV CHRISTO loquatur.

Sciendum igitur quòd quando Verbum caro factum est, tantum in ea re latet arcanum, ut illa eadem, dei oraculi uirtus, qua creata sunt secula, illa eadem & tanta, sicut tunc erat, est nunc in CHRISTO, propria ipsius facta, ut dicat CHRISTVS eam suam esse, sicut dicit, Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt: & æque pure, sicut, Verbum caro factum est, æque pure potestas Verbi, facta est potestas carnis. Ideo CHRISTVS sua uirtute facta esse secula dicere potest. Et idem est quod dicam, per me factum est, aut mea uirtute factum est: & nota per ipsum, nã aliud sonat dicere CHRISTVS creauit, aliud, per CHRISTVM creata sunt. Et hæc est Pauli sapientia, qui solus de hac re meminit, nec est sine significatione, quod totiens repetit Paulus, per filium, per CHRISTVM, per quem, per ipsum, id est, per arcanam eius uerbi uirtutem. Nam per te factum dicere potes, id quod olim per spiritum tuum factum fuisset, si spiritus carnem præcessisset. Et hunc talem spiritum in te esse consydera, & aliquis talis malignus spiritus erat in Simone Mago, dum sua uirtute facta esse secula dicebat, ex Apostolorum enim disputationibus illum modum loquendi

Hæretici uersutia nos docet.

quendi usurpauerat, ut non magis crederetur Apostolis, per CHRISTVM facta esse secula dicentibus, quàm sibi de seipso talia iactanti. Si igitur ad imaginationem in te esset, sicut in CHRISTO, erat Verbi uirtus, & æternus spiritus, tunc si spiritu loquaris, posses dicere te ibi fuisse, quia caro nihil est, & de illis omnibus memor esses, & rerum creationem, facie ad faciem, tibi præsentem intra teipsum conspiceres, & diceres per te esse secula condita, id est, uerbo uirtutis illius quod in te est. Et hoc sentit Apostolus in dicto cap. Hebr. 1. nam sicut de creatione dixit, ita de gubernatione & moderatione addit, ut per CHRISTVM fieri & gubernari dicantur, ea quæ Verbo uirtutis suæ fiunt & gubernantur, nam Deus præcinxit eum uirtute & potentia, & quia Verbũ quod erat in principio, erat ipsa CHRISTI uirtus. Ideo dicitur, Tecum principiũ in die uirtutis tuæ, nec sine significatione CHRISTVM inter cætera Dei uirtutem uocat Paulus.

Ista eadem ratione Apostolus in dicto cap. Ephesiorum 3. sentit omnia esse per CHRISTVM condita, per totam illam epistolam exclamans, in Christo supereminentem magnitudinem uirtutis Dei, & efficatiam potẽtiæ uirtutis eius, eminentem opulentiam gratiæ, inuestigabiles diuitias latitudinem, lon-

gitudinem & sublimitatem, & sic arcano modo per CHRISTVM facta esse secula notat. Idem sensus notatur in dicto cap. Coloss. 1. ut per CHRISTVM, id est, per eam, quæ in illo est, uniuersam plenitudinem, efficatiam in mysterium, dicatur deus omnia creasse & recõciliasse. Istum esse sensum nobis etiam indicat Iohannes, eodem cum Paulo spiritu ductus, & cum eo concordans, nam quæ Paulus per CHRISTVM, Ioannes per ipsum sermonem facta, dicit, quasi ea sit hodie CHRISTI, quæ olim fuerit sermonis uirtus.

CHRISTVS ergo, sicut intra seipsum, patris maiestatem in se manentem conspiciebat, dum dixit, Nemo nouit patrem nisi filius, & sicut pharisæorum cogitationes spiritu suo cognoscebat, Marci 2. Ita etiam cum in spiritu Dei præcesserit omnia tempora, uerba sua proferebat eo modo, quo ea ab æterno apud patrem fuisse spiritu suo contemplabatur, & omnes res à deo creatas ea uirtute quæ in se est, factas conspiciebat. Et sic qui spiritualem eius uirtutem consyderat, per CHRISTVM, & per eius uirtutem, esse omnia creata, concedet: per CHRISTVM igitur facta sunt secula, quia omnia quæ manus mea fecit, per me facta esse dicam, & Verbi ab initio prolati, uirtus est ipsius CHRISTI, & sua

est,

est, & ita CHRISTO appropriata, sicut manus corpori, & digito Dei eiecta dæmonia, dicebantur à CHRISTO eijci, & id ipsum est Verbum Dei & spiritus uirtutis Dei, Matth. 8. & 12. & Luc. 11. Ergo per CHRISTVM facta sunt secula, quia digito eius facta sunt.

Cognita Dei in CHRISTO uirtute, qua per ipsum facta secula dicimus, uerificabimus quod dixit se potestatem habere animam ponendi, & iterum eam sumēdi, nam cum diuinitas sit homini immixta, omnis paterna potestas est in me & mea est, ideo potestatem habeo omnia faciendi, & diuinitatis uirtus quæ me à sepulchro excitabit mea est, ideo uirtutem habeo & potentiam, animam ponendi & reassumendi. Pater dedit filio uitam habere in semetipso, potestatem habet uitæ & mortis: sed postquàm mortuus fuero, ego non suscito meipsum, sed pater me resuscitat. Debes enim animaduertere, quòd in scriptura non semel & iterum, sed sæpe sæpius legitur, ꝙ pater eum resuscitauit. Vnde illa propositio, ille resuscitauit seipsum, sophistica est & extra sanctas scripturas. Ego intra limites scripturæ me contineo, & dico illum habere potestatem, nihilominus tamen postquàm mortuus fuit, eum pater resuscitauit.

Secutus uulgatam è græco æditionem, dixi, tecū

Falsa litera non potest nisi diuinando interpretari.

principium, ne quis me calumniari dicat, nisi iuxta suam literam ei satisfaciam. Sed reor ex principatu populi eos facere principium, nam ἀρχὴ, *pro populi magistratu ibi capitur, quod ex hebraica ueritate ostendamus.* In Exodo *scriptum est, principes & populos dona obtulisse, ad extruendum & decorandum sanctuarium.* Exod. 25. 35. & 36. *huic simile, in proposito dicitur, & quod ad historiam attinet, loquitur ibi* Dauid *de spontanea populi oblatiõe ad domum sanctitatis decorandam tẽpore* Salomonis *facta.* 1. Paralip. 29. & *sub hoc historiæ typo futuram* CHRISTO *prædicit* Dauid *spontaneam oblationem, & cũ maiore sanctitatis splendore.* Hebraice *sic habet* עמך נדבת ביום חילך *id est, populus tuus spontanee offerentes in die militiæ tuæ.* Spontaneam *dixit ad differentiam* נדר Leuitici 22. & Deut. 12. *De hac spontanea oblatione per eandem uocem* נדבה *loquitur* Psal. 46. & 53. Ezræ. 1. *Similiter* Ezech. 44. 45. & 48. Item & de *hoc loquitur* Esa. 64. & Psal. 71. Nec *obstat quod aurum de* Arabia CHRISTO *datum non uideamus, nam in terminis legis seu historiæ solent prophetæ, ve prophetæ, ueritas literæ ad historiam pertinet, spiritus, oblatio, & spiritales hostiæ ad* CHRISTVM *expectant. Sufficit Salomoni data esse illa*

munera

munera & oblatum esse de auro Arabiæ & Tarsis. 3. Reg. 4. & 10. & 2. Paralip. 9. Item, quòd Propheta de hac oblatione loquatur, comprobatur ex eo quòd dicit, In splendoribus sanctitatis, quod dictum declaratur Psal. 95. & 1. Paralip. 16. ubi etiam est sermo de hac oblatione & de splendore, seu gloria sanctitatis, locum enim sanctum, pulchrum & gloriosum, uocant pulchritudinem sanctitatis, incuruate uos Domino in gloria sanctitatis, id est, in templo sancto, Psal. 28. Et pluraliter hic dicitur pulchritudines, ad significationem intendendam, quia multiplex gloriæ splendor. Id ipsum ergo hic dicitur quod Psal. 67. In templo tuo in Hierusalem tibi offerent reges munera. Et sicut terrenam Hierusalem nos non curamus, ita de auro Arabiæ inutiliter quærimus: maiora enim CHRISTVS requirit, qui & in hac quæstione de templo corporis sui nos docet, & loquens in hac re de regina Sabba, dixit, Ecce plus quàm Salomon. Hic non quærit CHRISTVS quæ nostra sunt, sed nos ipsos.

Patrem esse in homine (quod ego ex uerbis Magistri edoctus firmiter assero) negant aliqui, quasi hoc uideatur patripasianum. Sed nescio, unde hæc uanissima imaginatio sequatur: si sophistica illa communicatio idiomatum esset à mentibus hominum

abolita, facile hic ſcrupulus ceſſaret, nam cum dico filium, carnem noto: nec dico eum qui erat in filio paſſum, ſed filium paſſum. Sicut propria paſſio carnis eſt naſci, ita propria paſſio carnis eſt pati, flagellari, crucifigi, mori, & reſurgere: nec aliquo modo ad ſpiritum illa attinent, anima etiam non moritur, ſed caro. Quis tam profanus concederet, angelũ in me exiſtentem, mortuum eſſe quando ego moriar: & quis non faſcinatus dicere audet, quòd ſecunda illa Dei natura ſit mortua, quàm ridiculoſa mors eius qui mortis cruciatus magis quàm iſte lapis non ſentiat, eos ego uoco Dei paſianos, quia Dei naturam mortuam, ſeu rem illam quam Dei naturam eſſe dicunt mortuam, concedunt. Sed ego nunquàm concedam aliquid mori, quod mortis dolores non patitur. Et Sabelliani dicti ſunt Patripaſiani, quia uerbi œconomiam non intelligentes, filium alium, quem & patrem eſſe dicebant, crucifixum, mortuum, & ſepultum concedebant, dicentes, quòd pater eſt caro factus: ſed miſerabiliter lapſi ſunt, quia metaphyſico modo de Verbo loquebantur, de natura eius inquirentes, quod eſt abuſio, ut oſtendam libro ſequenti: & uniuerſi erroris eorum cauſa erat, quia philoſophi erant, & unum alium filium præter CHRISTVM faciebãt, quẽ omnibus modis patri identi-

ficantes

ficantes in hanc confusionem deuenerunt. Et ut Athanasius refert, omnem patris proprietatem & nomen imaginario illi filio tribuebant. Sic arguebant, Verbum factum est caro, & Verbum est pater, ergo pater factus est caro. Sed hic paralogismus est planè sophisticus, & fallacia accidentis, cum Verbum caro fieri nihil aliud sit nisi actio diuinæ dispositionis, nec potest ex hoc aliqd inferri potius quàm ex accidentali aliqua mutatione inferri potest, quod tu efficiaris lapis, immò longe disparatior est illa, Pater est caro factus. Et uisis libris sequentibus iudicabis ista esse recitatione indigna. Item illa, pater est Verbum, est ita disparata, sicut ista, cursus est potatio. Item, inferas tu, Verbum caro factũ est, & Verbum est illa essentia, illa summa res, ergo essentia illa est caro facta, & sic eris tu essentiæ pasianus. Quòd tamen patrem in CHRISTO esse dixi, docet me ipse Magister Ioan. 14. semel & iterum dicens, Pater in me est, pater in me manens. Et 2. Corinth. 5. Deus erat in CHRISTO mundum reconcilians. Et Ecclesiastici 24. qui genuit me requieuit in tabernaculo meo, modo quid, tabernaculum quod genitum est, nisi ipsa caro.

Quæri potest, quomodo CHRISTVS dicitur sapientia Dei, uirtus Dei, & splendor gloriæ.

Hæc de nominibus abstractis quæstio, Scotistis forte faciet difficultatem, sed Hebræis nulla est. Infinita sunt apud eos nomina terminata in el, & iah, quæ hanc habent significationem, licet nos per nomina abstracta interpretemur. Est etiã hebraismus, quod dum excellens aliqua Dei proprietas seu dispositio alicui conuenit, ipsum met nomine illius dispositionis nominetur, ut res fortis, fortitudo Dei: res sapiẽs, sapientia Dei, medicina Dei, salus Dei, sicut & mons magnus, mons Dei, & excelsi cedri, cedri Dei, res pulchra & sancta, ut dixi, uocatur pulchritudo sanctitatis, & splendor sanctitatis, & gloria sanctitatis unum alium hominem sæpe uocamus insignem patriæ decorem & splendorem, immò per excellentiam CHRISTO hæc conueniunt, nonne ille idem, quem splendorem gloriæ uocat, est, quem Deus constituit hæredem, Hebr. 1. Quis in re tam aperta æquiuocationem tolerabit, ideo istos locos potius deberem ego contra te inducere, ad probandum quòd hæc sint hominis accidentia: ridiculum enim est Dei naturam illis titulis extollere. Quid etiam, si CHRISTVM iusticiam Dei esse dico? poteris ne ex hoc aliquid philosophari? Vide qualiter de Simone Mago dicebant, Hic est uirtus Dei, quæ uocatur magna, Acto. 8. Ex quibus uerbis lin-

gue

guæ phrasim discimus, ut ex tã aperto loquendi mo
do non confundamur CHRISTVM Dei uirtu-
tem dicendo, ipse est pax nostra, iusticia nostra, &
sanctificatio nostra. Ecce ergo nomina abstracta,
ipse est anima mundi, immò plus quàm anima, nam
per eum uiuimus, non modo temporali, sed æterna
uita, temporalem nobis in Verbo dedit, & æternam
in carne lucrifecit, plus quàm splendorẽ gloriæ ego
dicere uellem, nam Dominum gloriæ crucifixum di
cit Paulus, ipse est stella splendida & matutina, sed
tantum habent de humanitate errorem conceptum,
ut non possint de CHRISTO bene sentire, eru-
bescunt, eum gloriæ splendorem uocare, cum ipse
dixerit, Ego sum lux mũdi. Ex dicendis, longe maio
ra sibi conuenire cognosces, ipse enim est lux Dei,
lux gentium, splendor faciei eius totum cœlum illu
minat, & uniuersa in futuro seculo illuminabit, Apo
calyp. 20. Eum esse uirtutem Dei qua condita sunt
uniuersa, satis supra dictum est. Tamen quo ad men
tem Apostoli 1. Cor. 1. hoc dictum eò tendit, quòd ser
mo de crucifixo CHRISTO, licet alijs sit stulti-
cia, alijs tamen potentia Dei est: mirabili enim uirtu
te mundum suæ ditioni subiecit, & subijciet, & sine
strepitu armorum mentes ducit captiuas.

De sapientia Dei in qua sunt oẽs thesauri sapientiæ

& scientiæ absconditi incomprehensibilem sapientiam, in arcano reconditam, & patefacto uerbo patefactam, in sequentibus agnosces. In hoc solo nunc disce sapientiam, licet uerba eius sint apud te parui ponderis. In CHRISTO est uniuersa patris sapientia, in ore eius noua lex, & ueteris legis interpretatio, Verbum Dei, quod patris cognitionem facit. Putas ne ridiculum dum dicit Magister, se uerba quæ à patre audierat, nobis referre. Ad hoc igitur tendit mens Pauli in dicto cap. 1. Cor. 1. de CHRISTO inquit, qui factus est nobis sapientia à Deo, iusticiaq;, & sanctificatio, factus sapientia à Deo, dum Dei sapientiam nobis patefacit, nam sermo crucis est sapientia Dei & potētia, quæ omnia inducit Paulus contra sapientiam huius mundi, quæ stulticia est in conspectu Dei. Et signanter contra Aristotelem de sapientia Græcorum loquitur, & mirandum q ab Aristotele plus quàm à Deo sapientiam quærimus: & diligentius, ut eius uerba excusemus, inuigilamus. Si ille in tenebris erat, quomodo nobis lucem dare potest? Magistri nostri est doctrina quæ fallere non potest, scilicet, quòd cæcus cæcum ducere nequit. Si liber de cœlo descenderet, credis ne aliquid superfluum & ad eruditionem impertinens in eo posse contineri? omnem philosophiam & scientiam

tiam ego in Biblia reperio, nōne clare uides quomodo Paulus ibi Græcorum ſapientiam reprobam & mundanam eſſe dicit. Nec te ſeducat quòd filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis. Lege obſecro millies Bibliam, nam ſi eam legendo guſtum non capias, eo eſt quia perdidiſti clauem ſcientiæ CHRISTVM, quam ſine intermiſſione pulſando facile recuperabis.

Præterea quæritur quomodo CHRISTVS dicatur à patre exiſſe. Adhoc uideas quomodo Iſaac exiuit de uiſceribus Abrahæ, Gen. 15. quomodo lex quæ eſt umbra corporis CHRISTI, exiuit à Deo è cœlo loquente, quomodo Euangelium emanat ab ſpiritibus legis, quomodo à lapide exit ignis ſcintilla, quomodo manna è cœlo datum eſt, quomodo Moyſes è petra egredi fecit aquas, nam iſte eſt proprius exitus IESV CHRISTI, qui eſt lapis qui exiuit de monte ſine manibus abſciſus. Item, Ioan. 16. Ex hoc quòd ſcis omnia credimus quòd à patre exiſti. Et Ioan. 17. ex miraculis quæ fecit infert, cognouerunt uere quòd à te exiui, ſed quomodo ex miraculis cognoſcebatur ille metaphyſicus exitus, qui nec proprie dici poteſt exitus. Item, ipſe declarat ſe exiſſe, quia pater eum miſit, & hoc iterum declarat dicens, Non enim à meipſo ueni, ſed ille me miſit.

Dicitur etiam, Exijt edictum à Cæsare Augusto Lucæ 2. & Nume. 11. Ventus exiuit à Domino, & ab eo exeunt nuncij, Ezech. 30. Et si familiarius hũc exitum cognoscere desyderas, in sequentibus apparebit, si speculeris CHRISTVM fuisse ab initio personaliter in Deo, nunc uero esse realiter inter homines, & iste est eius à deo proprijssimus exitus.

Quæstio alia, an concedamus Verbũ olim fuisse filium. Hæc quæstio libro ultimo euadet clarissima. Hoc tamen nunc dico quod in Prophetis semper futurus prædicabatur Dei filius: & si quid tuo sensu hic uelis effingere, audi prius prophetas, Mala. 4. Orietur uobis sol iusticiæ. Et Esa. 45. Aperietur terra & germinabit saluatorem. Et cap. 11. egredietur uir de radice Iesse. Et Hier. 30. Orietur dux eius ex eo, & princeps de medio eius producetur. Et Numeri 24. Orietur stella ex Iacob. Distingue tu sicut uelis, nam id quod orietur filius erit. Et Esa. 7. Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Et 1. Paralip. 17. & 2. Reg. 7. Ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filiũ: & angelus, Filius, inquit, altissimi uocabitur, Luc. 1. Item, credis tu quòd Iohannes uoluntate humana locutus Verbum potius quàm filius dixit. Nec ostendere potes unum iota quo Verbum illud filium appellarit scriptura. Item, de Verbo illo tam in Euangelio

gelio quàm in epistola dicit Ioannes, quod erat olim. Sed de eo nunquàm legitur, est, quam differentiam & modum loquendi, tu non animaduertis. Sed infra hoc tibi reddam indubitabile, si modos loquendi scripturæ diligenter obserues, interim tamen de Verbi æternitate & initio hic inquiram.

Ex supra dictis libro secundo est satis notum, quod egressus Verbi est ab initio mundi, nam antea, si antea dici possit, non potuit dici logos, quod est dicendi ratio, & contra uocabuli naturam est dicere quod interiorem ad intra in intellectu noticiam significasset, quod figmentum esse falsum, ostendam infra. Et si fuisset alius mundus, forte nec de sermone, nec de spiritu fuisset mentio. Sed potuisset Deus nouis dispputationibus uti, nam hæc Verbi dispositio, est mundi œconomia, & tanquàm granum sinapis ad os elephantis. Te oportet mundum ad oris Dei prolationem reducere. Ipsi dicunt tres illas res etiam inuito Deo manere debuisse, dicunt enim quod hoc est de necessitate naturæ, quibus Tertulianus expresse contradicit, dicens, Deum ex mero beneplacito usum tot dispositionibus quot uoluit, pro mundi scilicet regimine: & ad hoc CHRISTI regni institutio expectat, ut dicam statim, & si Deus alios mundos creasset, potuisset loco sermonis spiritus & rationis

nostræ nouas creaturas, cum alijs potentijs à nostris penitus diuersis formare & secundum earum exigentias in seipsos dispositionibus uti, & tunc dixissent illius seculi philosophi quod illæ dispositiones essent res distinctæ, & sic quilibet mundus in sua noua Trinitate nouas res pro Deo coleret, & aliqui haberent trinitatem, alij quaternitatem, si Deus aliquando quatuor dispositionibus uteretur; & isto modo pro numero mundorum multiplicarentur Dij tui Iuda.

Aliqui hic de æonum æternitate imaginarias fingunt quæstiones, nec attendunt in quo sensu scriptura de æternitate loquatur, quod ex hebraicæ linguæ ignorantia prouenit. Quærunt an Deus erat solitarius & ociosus antequàm mundum crearet, & dicunt quòd non, sed cum illis tribus rebus spaciabatur. Ita de ante loquuntur, quasi in Deo reperiantur ante & post: in Deo etiam ex tempore mutationem arguunt, quia antequàm hæc res esset, uolebat eam futuram, et post nollet eam futuram: et sic fixo, ut aiunt, obiecto in hac propositione, hæc res futura est: cathegorice concedunt, Deum prius circa illam habuisse uelle, & post habuisse nolle circa eandem in eodem sensu.

Ad quæ omnia respondeo, q; in Deo prædestinatio

non

non distinguitur ab eo quod est, nec in Deo reperiuntur uolebat, uolet, futurum, præteritum: sed uult hanc rem taliter fieri, & talem esse terminum eius. Nec propterea dico præscientiā Dei nihil esse, nam scriptura hominibus loquitur, & nobis qui sub tempore sumus uere aliquid est, nec est possibile profunditatem sapientiæ Dei aliter nobis declarari, ne forte quis credat Deū de futuris ignarum, cum tamen nihil sit ei futurum. Nihil propterea Deo detraho, nam id quod apud Deum dico plus est quàm præscientia scilicet omnium rerum summa præsentia.

De captiuo & seruo Dei arbitrio, secundum Lutheranos.

Et hoc nota, nam quidam de hac præscientia Dei temporaliter iudicantes, Deum in futuris necessitate ad omnia astrictum faciunt, dicunt enim omnia de necessitate (etiam in conspectu Dei necessaria) euenire, ut tandem seruum sit Dei de futuris arbitrium, & omnibus rebus quæ erunt demonstratis nullā illarum Deus, nec impedire nec mutare possit, quod est perhorrendum, & super falso fundantur, iactis scilicet in præterita Dei scientia radicibus, cum tamen nihil sit ei præteritum, scientiæ eius nullum est tempus nec numerus, res supra res usq; ad deum se consyderare dicunt, & non consyderant quòd Deus est supra tempus, & quòd Dei dispositiones sunt supra suam consyderationem.

Dico igitur quòd nec Deus, nec Verbum eius per temporis interuallum ante mundum fuerunt, nec scriptura de æternitate Verbi, eo modo quo tu imaginaris loquitur: omnis enim æternitas hebraice est עולם quod nihil aliud quàm mundum & dies seculi significat, & ab initio, ab æterno, à diebus seculi, à diebus æternitatis, pro eodem in scriptura capitur, quod etiam ex adiectione, diebus, declaratur, id enim est æternum, quod certo dierum numero nõ clauditur, nec est intelligibile qualiter cum suis æonum æternitatibus, res dicatur cœpisse esse, & ab æterno, dicatur filius genitus & productus, figmenta enim sunt imaginaria, quæ scripturæ limites transgrediuntur: nam Iohannes dum dixit, ante me factus est, ad principium mundi se refert, sicut, quando dixit, In principio erat Verbum.

Item, CHRISTI regnum dicitur, milies æternum, tamen in cõsumatione seculi restituet eum Deo Patri. 1. Cor. 15. & Acto. 3. non quod aliquid gloriæ CHRISTO detrahetur, imò summa erit eius gloria, ad finem usq; omnia recte gessisse, patriq;, ut intendebat subiecta fecisse, & hoc erit reddere regnũ Deo patri, sicut uniuersi exercitus dux imperatori, uictoriæ palmam offert. Item, quia tunc omnis regnandi ratio cessabit, abolebitur omnis principatus

& potestas, omne spiritus sancti ministerium cessabit, non indigebimus aduocato nec conciliatore, sed erit Deus omnia in omnibus, & sic tunc cessabit Trinitatis œconomia. Tertulianus etiam cessaturam dicit Trinitatem, quod nota, sicut et nunc aliter est trinitas q̃ fuerit olim, ut in sequentibus ostendã.

Deus igitur & Verbum eius aliter quàm temporis anterioritate fuerunt ante mundum, scilicet sicut causa ante effectum, & hæc est anterioritas, naturalis, uera, & magis Deo appropriata quàm anterioritas temporis, quia coram ipso nullum est tempus. Item, ut Tertulianus inquit, manifestatio sermonis quæ ad filij generationem tenderet, facta est ab initio ante principium, & in ipso principio, quia primum principiũ prolatio Verbi, dixit Deus, fiat, ex qua sequitur creatio mundi, & factum est, nec antea dici poterat sermo, quia non dicitur sermo, nisi quando per prolationem manifestatur.

Finaliter hic hortari te uolo, ut contremiscas, quando IESVM CHRISTVM negas, & considera qua efficatia, quo uerborum impetu dixit Iohannes, Quisquis confessus fuerit q̃ IESVS est filius Dei, in eo manet, & ipse in eo: & omnis qui crediderit IESVM esse CHRISTVM, ex Deo natus est. Et quis est qui uicit mundum, nisi qui credit

ꝙ IESVS est filius Dei, & credentes ꝙ IESVS CHRISTVS est filius Dei, uitam æternam habebitis in nomine eius. Quid plura dicam, uniuersa CHRISTI uerba ad hoc tendunt, ut eum esse filium Dei omnes crederent, in eiusq; salute confiderent, & hoc est mihi potissimum fundamentum, nam CHRISTVS est mihi unicus Magister, CHRISTVS primus prædicauit Euangelium, in cuius dictis uniuersam Apostolorum doctrinam relucere uideo: omnes Apostolorum prædicationes, in Actis hoc ipsum agunt, ut hunc IESVM ad oculum demonstratum persuaderent esse CHRISTVM filium Dei saluatorem. Pro nobis id credentibus patrem rogat CHRISTVS, Ioan. 17. Pro illis, inquit, qui per sermonem Apostolorum credituri sunt in me. Omnes Pauli iustificationes hāc CHRISTI fidem respiciunt, ab hoc fundamento fidei deficientes, Lutherani nunquàm intelligere potuerunt, quid est iustificatio. Paulus ad hanc fidei CHRISTI obedientiam destinatū dicit Apostolatum suum, Roma. 1. & ultimo. Vere enim est obedientia & summe Deo grata, dum ita captiuamus intellectum nostrum in obsequium CHRISTI, ut ita nobis persuadeamus, credamus, & confidamus, imò sic dilexit Deus filium suum, ut hoc unicum de fide in Christum

Ad hoc datus est spiritus sanctus, ut uerborum Christi significationē eos doceret, Iohan. 14.

ſtum præceptũ ſit loco uniuerſæ legis ſubrogatum & longe maior in eius obſeruatione utilitas.

Item ex hoc quòd credimus eum eſſe filium dei, & nos filij Dei efficimur, Ioan. 1. & Gal. 3. Item, ex hac CHRISTI fide prouenit datio ſpiritus ſancti, Ioan. 7. Qui crediderit in me, flumina de uẽtre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc enim, interprete Ioanne, dixit de ſpiritu ſancto quem accepturi erant credentes in eum. Idẽ probatur Ephe. 1. Gal. 3. Acto. 11. & 19. Quos locos uide, & dic, quid eſt quod dicitur, Poſt quàm credidimus, & poſtquàm credidiſtis. Credite ergo IESVM CHRISTVM eſſe filium Dei, & ilico ſpiritum ſanctum uobis datum percipietis, qui uos omnia intelligere faciet. Volo iam ſcire an ſis Chriſtianus: dic mihi quæ eſt lex Chriſtianorum? quid intelligis per teſtamentum, ſeu fœdus nouum? quod eſt fœdus pacis, Hiere. 31. & Ezech. 37. Quid intelligis per Euangelium CHRISTI? quid eſt quod CHRISTVS dicebat, Credite Euangelio? Quod eſt Euangelium cõmiſſum Apoſtolis, ut prædicarẽt? Nec mihi ſatisfacis, librum hunc à quatuor Euangeliſtis conſcriptum demonſtrans, nam hoc nihil aliud eſt niſi enarratio hiſtoriæ, ad hoc ſolum tendens, ut CHRISTVM eſſe filium Dei credamus, pro quo eſt textus expreſſus Ioan. 20. Hæc ſcri-

pta sunt, ut credatis q IESVS est CHRISTVS filius Dei. Similiter Epistolæ Pauli nihil sunt, nisi documenta ad ædificandum super hoc fundamento CHRISTI, iam enim oretenus, illis ad quos scribebat, IESVM esse CHRISTVM, & Dei filiũ prædicauerat. Item, antequàm Apostoli scriberent, iam erat à CHRISTO prædicatum Euangelium, quando fausta, & regnum Dei, ipsum credentibus esse filium Dei, annunciabat. Iam erat super hoc articulo ecclesia fundata, super hoc articulo mortuus, quia filium Dei se dicebat, super hoc articulo cœlestis uox semel & iterum testificatur, iam erat per ipsum data lex fidei, & testamentum eius sanguine confirmatum, sicut & olim Exod. 24. conferas fœdus fœderi, & te sine fœdere esse reperies: nam si nescias quòd religio Christianorum est credere hũc IESVM esse CHRISTVM & Dei filium saluatorem, dico tibi quòd tu non es Christianus, nullũ habes cum CHRISTO fœdus nec pacem. Hoc est fœdus salutis nostræ, & in signum & huius fœderis arram datur spiritus. De hoc dictum est, Qui non crediderit, condemnabitur: Hoc est Verbum Euangelij, corda purificans, Acto. 15. Hoc est quod Apostolis est prædicandum commissum, Præcepit nobis, inquit Petrus, ut prædicaremus ac testificaremur

mur, quòd ipse sit ille, Acto. 10. Et talia credentibus bonum nuncium annunciatur, & hoc est Euangeliũ regni, exinde regnum Dei nobis unice euangelizatur, & qui non credit ipsum esse filium Dei, nescit quid est Euangelium, nec cognoscit quale est regnũ Dei, quod iam credentes acquisiuimus, quod intra nos est, licet mundus huius regni fructum nesciat.

Nota etiam ordinem Apostolicæ prædicationis in eorum Actis, nam primo IESVM uirum à Nazareth ad oculum demonstrant, nec in hoc consistit fides nostra. Sed post exhortantur, ut credamus hũc IESVM esse CHRISTVM, & esse filium Dei. Nos tamen omnem peruertimus ordinem, cõtenti sumus, si dicamus, ꝙ credimus in IESVM CHRISTVM, non quis ille sit: nec cum cæco illo illuminato curamus inquirere quis sit ille filius dei, sed credimus in filium Dei. Nec mirandum, si prædicare IESVM esse filium Dei, erat gentilibus philosophis stulticia, cum & hodie hoc esse stultissimum arbitrentur, imò eum esse filium Dei, nec audire nec agnoscere uolũt, & cũ Caiapha exclamant, blasphemauit, quia dixit, filius Dei sum. Planissime enim, nulla in hoc, de uerbo consyderatione habita, se esse filium Dei, toto orbe clamauit, ut ex sola prima Pauli prædicatione clarissime agnosces, Acto. 9.

Aliqui eum dici filium Dei, ore tantum concedunt, quia addunt, cum dependenter dici filium & coniunctim cum alio inuisibili filio, & totum illud est unum aggregatum, & unus filius.

Alij IESVM CHRISTVM naturæ humanæ uocabulum fatentur, filij tamen rationem ab homine negant. Sed hoc quid aliud est quàm negare CHRISTVM esse filium Dei: dicunt enim q, alia est natura filij, alia est natura IESV CHRISTI, & filius Dei se uniuit CHRISTO, ut Valentinus dicebat. Ego igitur pure & syncere concedo, & credo hunc IESVM esse CHRISTVM, & esse Dei filium, & qui non ita credit, iam iudicatus est. Contra hanc petrā dixit uerissime CHRISTVS, non præualituras portas inferi, quas tamen præualuisse nobis, miris modis experimur, & petram abesse non animaduertimus: ab hac petra, dicitur Petrus, quia præ cæteris erat in CHRISTI fide robustus, pro ea fide rogauit CHRISTVS pro Petro, ne deficeret fides eius, scilicet, qua ipsum esse filium Dei, fuerat confessus. Volue quatuor Euangelia, quia non reperies unam literam, quæ de hac fide non loquatur.

LIB. IIII.

MVLTIFARIAM Deus, seipsum olim personando, futuram nobis indicabat Trinitatem, nunc sub specie flatus, nunc sub Verbi persona, eius actiones scriptura describit. Varie etiam Deitatis personæ post apparuerunt, scilicet sub forma hominis, & sub forma spiritus, & Deus eis dispositionibus, quas post erat nobis uarie manifestaturus, in seipso uti incipiens, Verbo suo cœlos creauit, & spiritu oris sui omnes uirtutes eorum. Illa tamen omnia erant tunc dispositione tantum, nunc uero re ipsa, & personarum, quæ tunc arcano modo erant apud Deum dispositiones, nunc in diuersis rebus est uere facta apparitio, & sic est personarum realis facta distinctio, alia persona, id est, Deitatis aspectu apparēte in filio, alia in spiritu sancto: & res absolutæ & distinctæ, in quibus personæ apparuerunt, sunt, Deus pater, homo filius, & angelus spiritus sanctus: & sicut IESVS ille Nazarenus qui prædicauit in Iudæa est CHRISTVS filius Dei. Ita illa ignis flamma quæ uisa est, Acto. 2. erat angelus & sanctificans spiritus: & sicut dum dico hominem CHRISTVM IESVM, non separo ab illo patris diuinitatem. Ita dum nuncium siue ad-

ministratorium spiritum dico, non separo ab eo characterem diuinitatis, ut sit una patris diuinitas in illis personis, personarum enim diuersitas in apparitionum modis est iudicanda, non in ipsa rerum unius naturæ metaphysica pluralitate, in quo omnes philosophi errarunt, nam scriptura nunquàm naturas consyderat, sed apparitiones & dispositiones. Apparitionem in materia de spiritu sancto, dico ex descendente spiritu. Dispositionem uero in nobis, & illa ad istam terminatur, ideo semper dico quòd spiritus sanctus est Dei in hominis spiritu agitatio.

Extra hominem nihil est spūsſanctus.

Et quod extra hominem non dicitur proprie spiritus sanctus. Hic notandum, q̄ dum dicitur, dominus spiritus est, arbitrantur multi, nihil aliud esse, quàm dicere, Dei natura est incorporea. Sed scriptura nihil minus quàm illas philosophias curat: nā secundum hoc quando dicitur, Deus ignis esse, etiā inferres secundum opinionem Chaldæorum, quòd Dei natura sit ignea. Dum ergo dicitur, Deus spiritus est, spiritualis Dei dispositio notatur: nā ex hoc quòd Deus spiritus est, infertur quòd spiritu est adorandus, Ioan. 4. Et ex hoc quòd dominus spiritus est, infert Paulus, quòd ubi spiritus Domini, ibi libertas. Similis est Ioannis consequentia, Qui non diligit, est sine Deo, quia Deus charitas est. Pari ratione

inferri

inferri potest, quòd spiritalis Dei in corde hominis agitatio est eius in nobis spiritus, quia Deus spiritus est: & hoc est proprius quàm Deum uocare spiritum, quia sit incorporeus, imò nulla res ex sui natura dicitur spiritus, sed in quantum est spiritalis motio, & aliud sonat dicere, Deus est in illo uel cum illo, aut dicere, spiritus Dei est in illo, uel super illũ, nam hoc spiritualem mentis illustrationem, illud uero & corporis protectionem, & cuiuscunq; actionis directionem significat.

Spiritus Dei dicebatur, sed non spiritus sanctus.

Præterea sciendum, quod sempiterna spiritus Dei dispositio à Verbo ea ratione dicitur fuisse discreta, quia Deus spiritu suo, actione à Verbo distincta, & agere cœpit, & se acturum decreuit, nec unquàm angelum dei per se spiritũ sanctũ dico, sed ita uocatur propter inseparabilem ab angelorum ministerio spiritus Dei dispositionem. Nec scriptura nominat plures spiritus sanctos, licet plures sint ministri, omnis enim sanctificatio ab uno est, unus est dei spiritus, qui hæc in omnibus operatur. Nec Macedoniana illius tertiæ rei seruitus me impetit, quin angelos dicam ministros. Nec aliqua seruitus argui potest ex hoc, quòd Deus una sui dispositione ad ministerium eorum quæ per aliam efficit, peculiariter uti uult: aut si spiritus sui personam ad solum Verbi

ministerium distincte segregat, angelis ad hoc sibi spiritibus creatis, qui sunt ministri, facientes uerbum eius, ut obtemperetur uoci uerbi eius, Psal. 102. Et qualis est respectus angelorũ ad CHRISTVM, talis est spiritus ad Verbum: ideo spiritum sanctum, quod & Ignatius dicit, Verbi ministrum dico, sicut angeli sunt ministri CHRISTI, ut sacramenta rebus optime consonent: & quærere hic de æqualitate uel inæqualitate naturæ, est pascere uentos, quia nõ est nisi res una, nec scriptura, nec antiquiores unquàm in hac re de æqualitate uel inæqualitate meminerunt, imò nec cogitarunt. Sed primus Eunomius hanc philosophiam adinuenit in spiritu, sicut Aëtius in Verbo.

Circa personam Verbi, CHRISTI persona est inuestiganda. Pro quo dico, & ad hoc tẽdit prædicatio Ioannis, quòd Verbum iam ab initio ad illud erat prolatum, præparatum, & destinatum, ut caro fieret, & iam in illo erat, apud Deum futuri hominis repræsentatio & effigies. Et τὸ πρόσωπον, hæc persona, hic uultus, hæc facies, hæc hominis in Deo repræsentatio sacramentaliter latet in omnibus scripturæ locis, qui de imagine facie, persona, & uultu loquuntur.

In primis, sapientia effigiem hominis præ se fert, &

& CHRISTI personā repræsentat, dū genitā & creatam se dicit. Item prophetæ uidentes uidebant CHRISTVM, non alia de causa, nisi quia uidebant futuri hominis repræsentationem. De hac in Deo effigie, figura & imagine loquitur Moyses Deut. 4. nam populus uidit uoces, Exo. 20. in confesso tamen, quia ueram CHRISTI imaginem non uiderunt, dicto cap. 4. & ibi תמונה formam, figuram, effigiem & imaginem IESV CHRISTI designat, ut apparet Psal. 16. qui est Hebræis 17. Item hanc imaginem à longe uidit Balaam, Numeri 24. Videbo, inquit, eum, & nō nunc, intuebor eū, & non prope. Idem uidit Habacuc 2. Item, respice, quot locis illustrem hanc faciem uidere desyderat Dauid, Psal. 79. Illumina ó Elohim, ostende faciem tuam, & salui erimus. Idem de uultu dicit Psal. 4. & 43. similiter dicto Psal. 16. quando iusticia regnabit uidebo faciem tuam, & satiabor cum spargefacta fuerit imago tua. Eodem modo Psal. 88. faciem & uultum CHRISTI in Deo speculatur. Item, uide quàm clare uidit Esaias hunc uultum sedentem super solium excelsum, uelata tamen erat facies alis igneis, Esa. 6. Idē patet Ezech. 1. & 10. Et hoc ipsum uidit Ioannes, absq; uelamine tamen, Apoc. 4. Hanc imaginem filij hominis uidit Daniel, sub uelamine ta-

Obscure semper uidebatur olim, nūc uero clare.

men & nube, Daniel. 7. Hoc ipsum uidit Zacharias sub obscuritate noctis, Zach. 1. Hunc aspectum, hanc faciem, ut CHRISTVS inquit, desyderauerunt multi uidere. Quod desyderium apparet Psal. 23. 26. 66. 79. & 2. Paralip. 9. immò praeceptum legis est, ut cum uoluerint quē bene dicere, dicant, Ostendat tibi Dominus faciem suam. Hanc faciem expectat Esaias cap. 8. & Habacuc cap. 2. & 3. Hunc diuinae faciei uultum respicientes clamabant, O utinā dirumperes coelos & descēderes, Esa. 64. Ad idem Esa. 60. 62. Ista & alia, teste Ioanne, dixit Esaias, quando uidit gloriam Christi, Ioan. 12. De tali enim gloria & splendore loquitur ibi Esaias, ipsumq; CHRISTVM splendorem gloriae probat, capite 60. & 66. et splendor eius ut lux erit, Habacuc 3. Coruscās splendor faciei CHRISTI supra splendorem solis Paulo uisus est, Acto. 26. Item, quòd dicitur eos uidisse dominum facie ad faciem, declaratum habemus in Euangelio fuisse uultum CHRISTI, nam hoc de CHRISTO intellectum insinuantes, dicunt, Deum nec uisum esse nec uideri potuisse, Ioan. 1. Hebraeorum undecimo. 1. Ioan. 4. & 1. Timo. 6. Quasi uidisset, inquit, eum, qui erat inuisibilis: dicto cap. undecimo. Et Iacob Gene. 32. dicit se uidisse Elohim facie ad faciem. Quòd autem Elo

him

him fuerit CHRISTVS, sequentia probabũt. Ipse etiam Iacob manifeste declarat, hoc fuisse faciem hominis, per comparationem, quam capite sequenti facit, dicens ad fratrem suum, uidi faciem tuam quasi uiderim uultum Elohim. CHRISTVS etiam hoc comprobat per uerbum præteriti, dicens, Qui uidit me, uidit patrem. Ioannes etiam ait de CHRISTO, Ipse enarrauit, quasi dicat, non solùm nobis, sed iam olim, ipsis per CHRISTVM est habita de Deo cognitio. Item, quid est dictu, quòd gratia quæ palàm facta est nunc, data est nobis per IESVM CHRISTVM, ante tempora æterna. 2. Tim. 1. Vere per tũc IESVM CHRISTVM data est à Deo, quando IESV CHRISTI exemplar in Verbo suo constituit, & hoc fuit ante tempora æterna. Hoc ipsum est quod Petrus dicit, Vocauit nos ad æternã suam gloriam per IESVM CHRISTVM, 1. Pet. 5. Hanc Verbi effigiem per dictionem πρὸς designari dicunt aliqui, Ioan. 1. Verbum erat apud Deum. πρὸς τὸν θεόν. Quasi dicat, in conspectu, in facie Dei, & Verbum fuisse patris εἰκόνα ibi significatur, quod nihil aliud erat nisi hominis effigies. Itẽ, intelligamus uelamen faciei Moysi, & intelligemus Domini gloriam, de quo Paulus 2. Cor. 3. & 4. & ibi hãc CHRISTI gloriosam fa

ciem & imaginem, quæ ab æterno in Deo relucebat, speculatur. Ex quo depēdet quod dicit, CHRISTVM esse εἰκόνα inuisibilis Dei. Et huius rei summam ponit, dicens, q̃ gloria Dei in facie IESV CHRISTI cognoscitur, nec aliter hoc uerificari ualet, nisi quia gloriosa illa CHRISTI facies iã ab initio in Deo relucebat. O gloriã mirabilem, hæc inquit, est gloria, quam, priusquàm mũdus fieret, habui apud te, Ioan. 17. & ibi παρά σοι personam designat. Moyses igitur hanc faciem uidere desyderauit, aliqua uidit & gauisus est, uidit posteriora, sed non uidit faciem, Exod. 33. terror enim erat eis dum in hanc faciem oculos intendebant, & mori timebant, Exo. 3. & 20. & Iudicum 13. Eisq; uelamen significat nondum reuelatam esse gloriam Dei, Hebræ. 9. Nobis tamen, dirupto templi uelo, licet in sancta sanctorum, id est, in faciem CHRISTI, quæ eis erat uelata, respicere. Nobis non est aliud uelamentum, nisi ipsa CHRISTI caro, qua patris diuinitas tegitur, Heb. 10. Vidit ergo Moyses uultum faciei, sed non faciem: uidit repræsentationem, sed non rem ipsam, Desyderauerunt, inquit CHRISTVS, uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt. Vnde Ioannes, quia illa gloriosa facies fuit eis occultata, eos omnes in tenebris fuisse indicat, dicens,

Et tene

Et tenebræ eam non apprehenderunt, Et, *illumina-
re his qui in tenebris*, Lucæ primo. Ad idem tendit
quod cap. 3. *dicit* Habacuc, *Ibi absconsio fortitudi-
nis eius*. *Cui concordat* Deut. 33. *nam in monte Sinai
tempore datæ legis, licet fortitudo fuit magna &
terribilis, tamen* חביון *id est, absconsio fuit, dũ
non uidebatur loquentis uultus, qui tamen nobis est
lucide manifestatus, ideo qui minor est in regno cœ
lorum, maior est omnibus illis.*

Item, *si* CHRISTI *gloriam intelligere uis
ascende ad cherubin, contemplare rotas, & anima
lia* Ezechielis, *nã in omnibus illis imago hominis* Ie
su Christi in Dei *gloria repræsentatur, & super
illas rotas & animalia uidit* Ezechiel CHRI-
STVM, *& hanc appellat uisionem similitudinis
gloriæ* Domini, *& hoc ipsum est* CHRISTVS,
quem uidit Ioannes Apocal. 4. *Eademq́; est ibi uox
aquarum multarum, quæ* Ezech. 1. *&* 43. Item, *Che
rub, secundum* Hebræos, *interpretatur pictus aut
figuratus, seu pictura, aut figura, & angeli cum ho
minis imagine* CHRISTVM *figurant, & tam
cherubim quàm seraphim sunt angeli gloriæ* CHRI
STI *præcones*, *Esa*. 6. *Luc*. 2. Apoc. 4. *& ad imagi
nem & exemplar* CHRISTI, *quod in* Deo *uide-
rat* Moyses, *illa omnia depinxit*, *Acto*. 7. *&* Heb. 8.

Nam exemplar, de quo Exod. 25. *est, de quo in capi-te præcedenti fit mentio, scilicet* Elohim CHRI-STVS, *quem ibi uiderat, & hãc* CHRISTI *ima ginem uidit* Dauid *super cherubim.* 2. Reg. 22. *cuius exemplar & similitudinem retulit filio suo* Salomo ni, 1. Paralip. 28. *exemplar, inquam, & similitudi-nem omnium quæ spiritu uiderat, & ait, intelligere me fecit omnia opera exemplaris, omnia etiam, in-quit, scripta sunt manu* Domini. *Sed quid dici potest manu* Domini *proprius scriptum, quàm id ipsum, quod in eo erat expresse depictum & figuratum, & erat eis figuratum, sub uelamine tamen quo che-rubim,* Dei *oraculum alis suis tegebant & obumbra bant,* Exo. 25. & Heb. 9. *In summa, omnia quæ sunt in lege, sunt umbra corporis* CHRISTI, *& per angelos hoc illis figuratur, quia eis iuxta literam an geli sæpe dicuntur* Dij, *cum tamen proprie loquen-do, id quod* Dij *dicitur, sint* Deus pater & Dominus IESVS CHRISTVS: *& gloriam* Dei *sedere su per cherubim, est* IESVM CHRISTVM *an-gelis esse superiorẽ, quia ipse est* Dominus *gloriæ, & sedet super sedem gloriæ suæ,* Matthæi 25. *Et cũ hoc splendore gloriæ patris uenturus est,* Marci. 8. & Matth. 16. *& gloria* Domini *quæ totiens super cherubim in nube apparebat, nunc reuelata est,*

Esa.

Esa. 40. & 46. & cognito CHRISTO, omnes re uelata facie (eo ipso quòd in ipsum oculos intendimus) uidemus & cognoscimus gloriam Domini, Esa. 56. Habacuc. 2. Nam illa secundum Paulum in facie IESV CHRISTI cognoscitur. Dices tu parum prodesse exteriorem faciem uidere, at ego dico multum prodesse, si credēdo uideas. Sed tu indigne in faciem eius respicis, à qua tamē postquàm credideris, nunquàm oculos diuertas & utile esse cognosces, nam oculi carnis trahunt secum oculos mentis. Item omnes angeli eis olim uisi, nihil aliud erāt nisi CHRISTI effigies per angelos figurata, quā uidendo dicebant se uidisse Deum, sicut & angelus sub hoc typo eis dicitur Deus: & ad hoc tendit dictum Origenis, de quo supra meminimus angelis enim habitabat tunc nomen Dei, cuius in cherubim habitatio hoc ipsum designat, Dei enim habitatio est cœlestis, ut nullibi uerius quàm in spiritibus habitet, nā ita late spiritus Deo patēt, sicut tabernacula nobis, & hoc esse illam lucem inaccessam, hoc esse cœlum & Dei habitationem supra dicebam. Hos cœlos extendit ipse sicut pellem, & expandit eos sicut cortinam, & sicut tabernaculum ad habitandū, operit se hoc lumine sicut uestimento, Psal. 103. & Esa. 40. Istæ sunt cortinæ tabernaculi, illa Dei lux

essentia est & cœlestes creaturæ, ut dicam infra. Erant enim omnia hæc, angeli, Dei habitationem CHRISTVM adumbrantes, quia nomen Dei, quod iuxta literam legis habitabat in medio angelorum, habitat nunc in CHRISTO, & angeli illam lucem præ se ferebant, dum dixit Deus, fiat lux, quæ tamen lux est uere IESVS CHRISTVS. Voco spiritus & angelos omnes cœlestes creaturas, licet angeli & spiritus solum dicantur quando mittuntur: & eos generaliter ita uocamus, quia non aliter eos percipimus, tamen nec angelus nec spiritus sunt nomina naturæ. Item, sicut illi audiendo uocem angeli, audiebant uocem Dei: ita omnino est de CHRISTO, imò illud erat umbra huius ueritatis, & audiendo uocem CHRISTI, audiuit Paulus uocem Dei, ut testatur Ananias Acto. 22. nam in solo CHRISTO omnino habitat nunc nomen Dei, & sicut uidendo, ita omnino audiendo ipsum auditur pater, & propter sanguinem eius dicitur nos sanguine dei redemptos, Acto. 20. Omnimodo & in tantum est in eo Deus, ut omnia quæ sunt eius, sint Dei, & quæ per CHRISTVM fiunt, non sunt hominis opera, sed Dei: omnia, inquit, tua mea, paterq; in manens, ipse facit opera, & nos iustificati per CHRISTVM, sumus facti iusticia Dei, & facti corpus

& membra CHRISTI, sumus cõgregatio Dei.

Item, non reperies, quòd homo directe dicatur imago inuisibilis Dei יהוה Sed ad imaginem, inquit, & similitudinem nostram faciamus hominem, & ad imaginem, & secundum imaginem Elohim factus est, Gene. 1. & 5. & Ecclesiastici 17. uel dicitur, ad imaginem similitudinis Dei factus, Sapien. 2. quia uera & primaria similitudo est hominis in Deo repræsentatio, quæ est ipse CHRISTVS IESVS, ad cuius imaginem nos facti sumus, Cõformes, inquit Paulus, imaginis filij Dei, Roma. 8. Et licet, dum dicitur, faciamus ad nostram, de angelis ad literam intelligatur, sicut quãdo dixit, Adam quasi unus ex nobis, tamen uerus spiritus est de CHRISTO, de eis in persona CHRISTI dicitur: sicut & sapientia non diceretur creata, nisi ex CHRISTI persona, sicut etiam de Salomone & Dauide plura dicuntur excellentius, quàm eis conuenire possint: dicuntur de eis, sed non propter eos. De angelo etiam ad literam dicitur, facies mea præcedet te, Exo. 33. cum tamen uera facies sit CHRISTVS. Ipse est ille filijs Israhel itineris comes. 1. Cor. 10. Nec angelos sibi connumerat Deus, ut quasi unum sint ex nobis, nostram, & faciamus, dicat. Sed quia filij persona in eis adumbrabatur, de filio nãq; qui est unum cum

patre recte illud intelligitur, filius enim antea erat unum cum eo in una natura, scilicet personaliter, nunc uero est unum cum eo, uirtute & potentia, & nostram ideo dixit, quia eadem CHRISTI effigies, erat utriusque: unde multi Iudæorum, quasi CHRISTVM somniantes, imaginati sunt in Deo esse formas corporeas, quia sibi צלם & דמות in scripturis attribuuntur, quod Rab Moyses in suo directore neutrorum, libro primo, cap. primo impugnare nititur, consuetudinem scripturæ esse parabolicam dicens. Sed ego in talibus parabolis latere mysteria, nec aliquid sine significatione diuinis oraculis dictum puto, & omnis illa difficultas per CHRISTVM facile dissoluitur, nam consyderandum est uarietatis loquendi scripturarum artificium: nõ est sine mysterio, quod in ueteri testamẽto potius quàm in nouo scriptura talia Deo tribuat, non est sine significatione, quod in ueteri testamento toties legas, manus, digitos, oculos, faciem, & pedes: & quòd nullum illorum in nouo testamento reperiatur, sed oppositum nempe, Deus spiritus est, ratio enim est clara, quia tunc CHRISTVS erat apud Deum. Et illud idem exemplar, secundum quòd conditus est, homo est [illegible] quod uidit, Ezechiel 8. id est, CHRISTVS, cuius facies resplendebat ut ignis.

Aperiã in parabolis os meum, et eructabo abscondita. &c.

Per

Per angelum igitur, CHRISTI uultus in deo relucens repræsentabatur. Gene. 22. & Iudicum 6. Nam, ut Cyprianus inquit, idem angelus, & Deus, & CHRISTVS, mirabili cælatura ibi tegitur. Idem probatur Exo. 3. Idem notat Paulus Galat. 3. Lex, inquit, per angelos in manu mediatoris, iã enim ibi erat mediator in Deo, & hoc non obstante Deus unus erat, licet unius secundum quod unius non possit ibi mediatoris ratio uerificari, subtiliter enim contrarietatem ibi Paulus inducit, ut eam dissoluendo concludas, quod CHRISTVS fuerit apud deum.

Tanta enim est CHRISTI gloria, quod in deo, in angelis, in hominibus, in petris, & alijs, CHRISTI persona figurabatur. Ista sunt inenarrabilia, CHRISTI arcana, quæ si fuissent ab antiquis hæreticis intellecta, nũquàm dixissent angelos creasse mundum, & fuisse deos ueteris testamenti: ex eadem CHRISTI ignorantia processit, quòd alij supra angelos plures creatores mundi Deos fingerent, quia Gen. 1. pluraliter dicitur Elohim, quod tamen pro nobis clare probat, ut sequentia indicabũt, & expone Elohim, id est, Deus & Verbum eius, Deus & CHRISTVS, & deus per CHRISTVM, nec dicitur creauerunt, sed creauit, quia Deus Verbo creauit, erat tamẽ Christi ꝑsona creãs.

Hæc fuit olim quorundam Hebræorum opinio, cõtra quos Paulus Burgensis in suo Scrutinio.

Ex his detegitur ueritas illius uulgatæ sententiæ, qua dicunt duas naturas in CHRISTO *unitas, facere unam personam, & unum filium, quia alia est natura Verbi, alia natura carnis, et hæc duo sunt una persona, quia Verbum caro factum est.*

In qua sententia tot sunt errores quot uerba, nec quid sit persona intelligunt, & abutuntur uocabulo, dum de natura Verbi ita metaphysice loquuntur. Sed proprie loquendo dicitur natura Dei, & non natura Verbi, quia esse Verbi est persona in Dei natura personata, imò adhuc male sapit naturã Dei, quam nescimus in ius uocare, scripturæq; limites transgredimur, & ego naturam nunquàm capiam, nisi pro re ipsa quæ est Deus.

Præterea Iohannes non dixit, Verbum carni unitum, sed Verbum caro factum est, quia factus est transitus de Verbo in carnem, factus est transitus de persona ad rem, quasi Verbi persona dum est caro facta, recesserit à Deo, & uenerit ad hominem: uere tamen non recessit à Deo, sed CHRISTVS *ascendit ad Deũ, & æque proprie* CHRISTVS *nunc est in Deo, sicut antea Verbum erat apud deũ, & hoc est, filius hominis qui iam ascenderat in cœlum, & erat in cœlo, ut dixi libro. 2. Id quod prius erat persona filij, nunc postquàm Verbum factum*

est

est caro, est ipse IESVS CHRISTVS, qui est uerus realis & naturalis filius Dei, nec est nunc in Deo alia hypostasis seu facies, nisi homo ipse Christus, nam ueniente re ipsa, cessat personalis repræsentatio. Cogita perpetuo in hoc, nam ego dico, quòd Verbum illud erat in Lege, CHRISTI præfiguratio, Verbum illud erat umbra, & CHRISTVS est ueritas. Ioannes tam in Euangelio quàm in epistola de Verbo dicit, erat, nunc autem post manifestationem, non est tale Verbum, sed res ipsa, cuius illud Verbum erat typus, nunquàm enim de Verbo illo legimus, est, sed erat, nunc autem est filius IESVS CHRISTVS, quia id quod erat in Verbo, caro extitit, & Verbum caro factum est, id est, persona facta est res, umbra facta est lux, sicut dicit Paulus, gloriatio nostra, ueritas facta est, id est, ita fuit in re, sicut fuimus Verbo gloriati. Verbum quod in lege erat, umbra factum est ueritas. Sicut subdit, Lex, id est, umbra per Moysen, ueritas per Christum, de re quæ nunc est, tunc erat Verbum, id est, non erat res ipsa, sed de ipsa Verbum, tanquàm de re absente sermo, quæ eo Verbo tunc præsentabatur, id ipsum quod erat Verbi πρόσωπον & lux in tenebris lucens, est nunc in cœlo illa, quæ in monte resplenduit ut sol, facies IESV CHRISTI.

Singula uerba Ioannis ad faciem Christi relationem habent.

Præparata enim erat Verbi persona, ad hoc ut manifestaretur gloria CHRISTI, quod & factum est & uidimus gloriam eius, & ad hoc clarissime tendit prædicatio Ioannis. Plana ergo & simplici consyderatione, oportet nunc solum IESVM Christum & Deum patrem attendere, nec superest nūc aliud uerbum, nec in ore Pauli, nec in eius prædicationibus est unquàm auditum, nisi Deus pater & filius IESVS CHRISTVS, quas differentias & modos loquendi uellem te notare, qualiter scilicet, aliud sonat dicere Verbum, aliud sonat dicere filius: aliud sonat dicere, erat olim, aliud sonat dicere est nunc. Cogita hic, nam in præcipuo fundamento defecisti. Si unum iota mihi ostendas, quo Verbum illud filius uocetur, aut de Verbi generatione fiat mentio, fatebor me deuictum, qui ad unguē, ut Christus inquit, sermonem meum seruauerit: ubi scriptura dicit Verbum, dicet & ipse Verbum, ubi filius, filius scilicet olim Verbum, nunc uero filius.

Quod de persona dicunt, magna est uocabuli abusio, dicere unam personam esse aggregatum ex duabus rebus, aut duabus naturis in unum cumulum unitis. Sed proprie loquendo, una res dicitur persona alterius, ut socij Iob sumpta Dei persona, quasi ipsi essent Dij, uolebant loqui & iudicare, Iob. 13.

&

& pseudo apostoli in persona apostolorum loquun tur, & satanas in persona boni angeli loquitur, dum se transfigurat in angelum lucis. Et sapientia in per sona CHRISTI loquitur, Dauid & Prophetæ in persona CHRISTI, & CHRISTVS in perso na ecclesiæ sæpe loquuntur, quæ omnia reconditi Verbi erant typi seu signa. Simili enim omnino mo do, Verbum in persona CHRISTI olim fuisse fi- lium dicimus, & CHRISTVM in persona Ver- bi ab initio apud patrem fuisse, & CHRISTVS persona Verbi, & Verbum persona CHRISTI, & non est nisi una persona & unus aspectus, quia id ipsum quod in Verbo relucebat, est ipse CHRI STVS, ut si ego speculum habeam, licet me facie ad faciem, & etiam in speculo uideas, tamen non ui des nisi unam personam. Et sic idem est quòd Chri sto demonstrato, aut æterno illo Verbo demonstrato dicas hoc, ab initio fuit filius, quia quicquid demon- stres ab initio fuit personaliter filius, non realiter, imò ex rerum absentia dicuntur personæ, & rebus personæ repugnant, nulla igitur ex hoc concluditur fuisse inter Deos illuc sursum realis generatio, nam bestialis multum & perniciosa est hæc philoso- phia, & tanta derisione digna, ut non indigeat com mendatione.

Omnia quæ sunt in lege, erant recon- diti Verbi signa.

Ex his, si dicta intelligas, habebis solutionem ad omnia argumenta mundi, imò nullum erit contra te argumentum, sed planissime concedes, filium dei ab æterno apud patrem fuisse, à patre exisse, à summo cœlo descendisse, in mundum uenisse, mundum intrasse, & carnem induisse. Cessent nunc qui dicunt filium nõ aliter à patre missum, quàm unum ex prophetis, nã missus & manifestatus est qui antea erat absconditus Deus Israhel, dum intra patris umbraculum eius uultus latebat, Esa. 45 habitabat enim in abscondito altissimi, & in umbraculo omnipotentis, Psal. 90. Ibi collocata & abscondita erat fortitudo eius, Habacuc 3. Nec solum filium illum, ut ipsi dicunt, sed ipsum IESVM CHRISTVM dicit Ioannes in carne uenisse, & hoc ipsum est apparitio seruatoris nostri CHRISTI: sed quorsum apparitio, nisi quia ille idem antea in arcano latebat, in tantum CHRISTVM in Deo uidebat propheta, ut dicat eum in initio terram fundasse, Psal. 101. Quæ uerba, licet uiolenter ad CHRISTVM trahi multi credant, tamen proprius sensus est iste, ut docet Apostolus Hebræ. 1. Nam postquàm de Deo יהוה locutus est propheta, & dixit, nomen eius in Sion prædicandũ, ut omnes per CHRISTVM ei obediant, loquitur post de afflictione Sion, id est,

populi

populi Christiani, & super hoc אל Christum inuocat, & consolationem annectit, CHRISTI potentiam & æternitatem annuncians, ipse est de quo loquitur totus Psal. 67. quē exurgere desyderat, ipse est EL, cuius gloriā enarrāt cœli, id est, spirituales creaturæ, & etiā iuxta literā superiores uirtutes & orbes quos ipse creauit, Psal. 18. Sed de his plura in sequentibus, nā & de alijs psalmis simile est iudiciū, licet Christo ignorato aliter interpretētur. Similiter in Esaia CHRISTI persona in recondito altissimi loquitur, dicēs, Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Esa. 52. Ipse est qui antea in sapientia erat absconditus, & post in terris uisus est, & cum hominibus cōuersatus, Baruch. 3. Ex his soluitur argumentū, quomodo semē Abrahæ assumit. Ad quod iam est data responsio, ille enim de cœlo ueniens, mundum intrat, carnem assumit & induit. Sed iste intellectus, licet in se sit uerus, mihi tamen hoc loco quid aliud simul cū hoc importare uidetur. Nec Apostolus comparat semen Abrahæ uni angelo, quem uelut humanitatem assumpturus fuisset. Sed toti angelorū cetui, quasi dicat, non uenit angelos liberaturus, sed homines. Dicitur ergo semē Abrahæ, quod sumus nos, assumere, sicut 3. Reg. 12. Te aūt assumā. Et 2. Reg. 22. Assumpsit me, & traxit de aquis multis. Ita omnino

misericos & fidelis noster pontifex, dum nos à dia boli seruitute liberauit, traxit & assumpsit nos de morte ad uitam, de potestate satanæ ad gremiũ suũ. Assumam uos, inquit, Ioan.14. & Rom.15. Assumite uos inuicem, sicut CHRISTVS assumpsit nos in gloriam Dei. Et Deut.30. Assumet te, cõgregabit te, & introducet in requiem suam, id est, in terrã Chanaan, in quam requiem iam introducti sumus, licet hoc ipsum, quid sit mundus, nesciat, scietur tamen quum fuerit notum Iesum Christum esse filiũ Dei.

Superest, explicandus locus ille ad Heb.1. quomodo filius dicatur character substantiæ seu hypostasis Dei. Pro cuius intellectu uideamus quid per substantiam intelligit Apostolus. In primis substantia causæ dicitur, thema, medulla, seu id in quo potissimũ consistit quæstionis nodus. Et hoc modo capit idem Apostolus in eadem epistola cap.3. & 11. nam cap.3. subtiliter uult nos consyderare initiũ substantiæ Christi usq; ad finem, id est, quòd uiuo spiritu consyderemus medullam negocij, cuius hypostasis est uniuersum legis ordinem ad Christum, tanq̃ ad scopum ipsum reducere, & eam partem, quæ de requie loquitur, ad Christum sic dirigimus, intelligentes ꝙ nunc in consumatione seculorum est septima dies, qua requieuit Deus ab operibus legis, & in istã requiem in quã illi

propter

propter incredulitatem non intrauerunt, nos hodie Christo credentes intramus, & perpetuum uerum & spiritualem colimus sabbatismũ, & sabbatum ex sabbato, postq̃ noster æternus sacerdos semper intra tabernaculum est. Præterea cap. 11. dicit, q̃ fides earum rerum quæ sperantur, est substantia, nam id quod speratur est æterna salus, & in fide cõsistit potissima radix, medulla & infallibilis uia perueniẽdi ad hanc salutem, ideo fides dicitur huius rei substantia, sicut diuitias in quibus humani tractus fundantur, substantiam nostram esse dicimus.

Loquor semper, non de fide Lutherana, sed de fide CHRISTI, quæ sola iustificat, illa est ostium, per quod intrantes purificamur, ut sic mundati in agro Domini digne laborantes talentum lucremur, uniuersa Euangelij fides Christi personam respicit, scilicet ut ei credamus, & in eo tota sit nostra fiducia, nam ipse semper, confidite clamat, & in me credite, ex qua CHRISTI prædicatione nobis regnũ Dei unice euangelizatur, & hypostasis æternæ salutis est credere IESVM Christum esse filiũ Dei. Hypostasis ergo proprie est subsistẽtia, id qd' principaliter in unaquaq; re subsistit, est eſsẽtia et hypostasis.

Ex his patet quid per hypostasim intelligit Apostolus in dicto cap. 1. & decipiuntur qui naturam

patris glossant, quia nihil scripturæ cũ naturis, nec uocabuli proprietas illud patitur, & substantia rerũ sperandarum, nõ est ipsemet res speranda, seu natura rerum sperandarum, sed per substantiam patris intelligit Apostolus modũ subsistendi, & esse patris. Et hoc sonat dictio ὑπόστασις: nam paterna hypostasis relucet in Verbo, & illa Verbi effigies est homo ipse CHRISTVS IESVS, qui est huius rei character, de quo charactere infra latius.

LIB. V.

NOMINA diuinitatis insigniora, sunt Elohim, & Iehonah, alterum Christi, alterum patris nomen, de quibus est modo ad pleniorem Christi cognitionem dicendum. Interpretatus sum Elohim, id est, Deus & Verbum eius, & clarius dic q Elohim erat in persona homo, & in natura Deus. Ex qua similitudine magnates & illustres personas uocant elohim, siue hominum sint siue angelorum. Porrò, linguæ consuetudini pluralitatem hanc tribuunt Hebræi: sed illi, ut soliti sunt, spiritum extinguunt. A nobis tamen maiora sunt requirẽda, qui scimus testimoniũ IESV CHRISTI esse spiritũ prophetiæ, Apo. 19. Nam hæc cõsuetudo anteq̃ esset consuetudo

ſuetudo fuit inſtituta, & ita eſſe in hac ſancta lingua à Deo inſtitutum, nõ eſt ſine myſterio. Idem dico de Adonai ſiue Adonim, rationabiliter enim potuit pro hac re inſtitui, & poſt etiam pro alijs dominis uſurpari, ſicut & Elohim uſurpatur. Item, q̃ in Elohim notetur pluralitas, probatur Ioſue ulti. ubi nõ ſolũ de Deo dicitur Elohim, ſed אלהים קדשים quaſi dicat, Dij ſancti: ergo negari non poteſt, quin aliqua pluralitas ibi notetur. Similiter Hierem. 10. & 23. אלהים חיים id eſt, Dij uiui, Dij uiuentes. Et Pſal. 57. אלהים שפטים, id eſt, Dij iudices, iſtam pluralitatẽ, ut dixi, notauit Paulus ad Gal. 3. dicens, Mediator autem unius non eſt, & pluralitas hæc eſt, q̃ ſicut tunc Elohim erat in perſona homo, & in natura Deus: ita nunc Elohim Chriſtus eſt, ſecundũ carnem homo, ſpiritu & uirtute deus.

Sunt enĩ Elohim ſiue adonim multi, ſiue in cœlo ſiue in terra. 1. Cor. 8.

Huic rei ſumme conuenit, q̃ licet pluraliter interpretetur elohim, id eſt, deus & Verbum eius, tamen in ſingulari regimine ponitur, quia Deus erat Verbum. Eadem ratione Chriſtus, prout erat apud Deũ, conſyderando indifferenter Iehonah & Elohim dicitur, nam nomen Iehonah ab Elohim in Lege nõ ſeparatur: ergo, qui erat tunc Elohim, erat Iehonah, quia Deus erat Verbum, & ut ſæpe legitur, nullus erat Elohim niſi Iehonah, & Chriſtus ipſe Elohim,

erat essentiæ fons, à quo omnes res mundi emanarũt. Sed dum prophetia ad futurũ Christũ dirigitur, nunq̃ nomen Iehouah sibi tribuitur. Huic rei argumẽtum facit q̃ eisdem uerbis, in lege & prophetis, repetitis, in lege ponitur Iehouah, et in prophetia quæ Christum respicit, ponitur Elohim, ut Deut. 33. & Habac. 3. Similiter Esa. 54. Factor tuus est Iehouah, & redemptor tuus Elohim omnis terræ uocabitur, multisq́; alijs locis hæc habitudo reperitur, & dixit Iehouah, ero uobis Elohim, nam monarchia Iehouah per œconomiã Elohim ad nos uenit, sicut Deus per Christum regnat, aliâs enim Iehouah, est de se nomen separatum. Item q̃ uox Elohim ad Christum pertineat, est ratio quæ me summe mouet, nam oẽs psalmi quos spiritus sanctus in Euangelicis literis de Christo interpretatus est, & quicunq; alij scripturæ loci, qui diuinitatis nomen Christo tribuunt, loquuntur per uocem, EL, Elohim, siue Adonai, præcipue per Elohim, & ipsemet Christus hoc clare indicat Psal. 45. Vacate, inquit, & uidete, quia ego sum Elohim. Et Psal. præcedenti, q̃ Christus Elohim esse dicatur, Apostolus interpretatus est. Et in antepræcedenti, Elohim & Adonai esse dicitur. Similiter alij præcedentes, & psalmi sequentes, eũ esse Elohim, oẽs declarant, ut, Elohim uehementer exaltatus est.

Hic eſt Elohim, ipſe reget nos in ſecula. Ex Sion *ue niet* Elohim *pulchritudine illuſtri,* Pſal. 49. *Nam* ꝙ *iſte ibi ſit* Elohim *Chriſtus, qui ceremonias legis re= probat, argumēto* Pauli. 1. Cor. 10. & Heb. 10. *patet.*

Itē, *quis Hebraica uel Chaldaica mediocriter edo ctus ignorabit,* Thomā *non nominaſſe* Iehouah *quan do dixit,* Dominus meus Deus meus, Ioan. 20. *Vidiſti ne unq̄, illud affixū, meus, addi nomini* Iehouah? *ſcru tare ergo, & qui ignorare uelit, ignoret.*

Item, alia ratione, & eſt notabile myſteriū, nam ישע *quod eſt ſalus & ſalutare Chriſtus nunq̄ iun gitur nomini* Iehouah, *ſed nomini* Elohim, *ut* Haba= cuc. 3. Pſal. 17. 23. Eſa. 12. Miche. 7. & *alijs q̄ pluribus locis, ubi ultra nomen* Iehouah *addi ſolet de* אלהי ישענו *qd' eſt iudex, princeps, ſaluator noſter, ſa lus & ſalutare.* Chriſtus & Euangelium, *hoc ſaluta re Chriſtum eſſe interpretatur* Lu. 2. & 3. & Acto. ulti. *Eadem ratione angelus, nomen* Ieſu, *ſaluatorē interpretatus eſt.* De eodem, *iuxta dictū* Habacuc *di xit* Maria, *Exultabit ſpiritus meus in* Deo *ſalutari meo,* Habacuc *enim dixerat,* In Elohim *ſalutari meo.* Et *licet* Iehouah *dicatur ſaluare, quia per Chriſtum ſaluat, tamen nunq̄ coniunguntur, nunquàm legitur* יהוה ישע *Sed quod eſt etiā notabile poſt no men* Iehouah, *addi ſolet de* ישועתך *id eſt, de*

ſalutari eius Chriſto, Pſal. 95. & 97. Et ita dicebat Simeon, Viderūt oculi mei ſalutare tuum. Hāc differentiam mihi clare indicat Eſaias cap. 25. Solet enim repente ſpiritus hiſtoriam texendo ſubliniora intermiſcere, hiſtoriā texēdo, ſubito in cœlū rapitur propheta, ad futuri ſeculi gloriam ſpeculandā, ubi Chriſtum & patrem oculo ad oculū uidebunt, & dicēt, hic eſt Elohim, Chriſtus ſaluator. Similiter patre demonſtrato, iſte eſt Iehonah, & lætabimur in Ieſuato, id eſt, in Ieſu eius, in ſalutari eius Chriſto: eſt enim nomen eius ישועה Ieſuah, quod etiam ponitur Pſal. 9. 12. 13. 19. 20. 105. & alijs q̄pluribus locis.

Item, nomen Elohim nunq̄ præponitur nomini Iehonah, ſed cōtra ſemper dicitur Iehonah, Elohim, ut non ſolum ibi notetur, ꝙ Deus erat Verbum: ſed etiam iuxta dicenda exponi poſſit, id eſt, eſſentians, ſeu eſſentiam daturus ipſi Elohim Chriſto.

Item, alia ratione Chriſtus Elohim eſſe clare probatur, nam, cum Verbum ſit Chriſtus, nunq̄ fit mentio de uerbo Elohim, nec Elohim mittit aut ſuſcitat uerbū ſuum, quia nō ſuſcitat nec mittit ſeipſum, ſed cum Iehonah ſit pater, recte dicitur Verbū ipſius Iehonah, & de uerbo ſuo & de uerbo eius ſemper fit mentio. Et licet nunq̄ de uerbo Elohim fiat mentio, tamen de ſpiritu Elohim bene fit mentio, nā hoc ipſum

Nota myſterium quod dicatur ſpiritus elohim, & non uerbum Elohim.

erat

erat Christi flatus, Gene. 1. sicut & hodie spiritum Christus mittit à patre. Item Christum esse Elohim confirmat, quod supra dixi, hominem non ad imaginem Iehouah, sed ad imaginem Elohim factū esse.

Aliquibus faciet difficultatem, quod de nomine Iehouah dicitur, Hiere. 23. & 33. Sed etiam si Hierusalem ibi uocetur, Iehouah iustus noster, parū concluderent. Solitū est enim cū illis additis rebus nomina imponi. Puto tamen alium ibi esse sensum, nā in uno loco ponitur relatiuum masculinum, quod refertur ad tribum Iuda. In alio loco fœmininum, quod refertur ad Hierusalē, de illis enim utrobiq; supra proxime fecerat mentionem, & post addit וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו, id est, & hoc nomen eius qui uocabit eum scilicet Iudam, Iehouah iustus noster: & in alio loco similiter ait, iste qui uocabit eam scilicet Hierusalem, est Iehouah iustus noster, sicut si dicas, Deus pacis uocauit nos, id est, in pace uocauit nos, uult dicere, q̧ sub nomine iusticiæ uocabuntur, ipse erit iusticia nostra, omnes erimus iusti, postquàm ipse nos gratis iustificauerit.

Hanc iusticiam supra monui, nō esse ex Lutherana fide, sed credentibus Iesum Christum esse filium Dei, fuimus enim Deo agniti, & à delictis iustificati, quando Christo credidimus, Acto. 13. & Ro. 3. Nam

cum essemus mortui per delicta, uiuificauit nos & cœlestes reddidit, Ephe. 2. Non est *necesse, ut per legis opera, iusticiam, &* Dei *amicitiā quæramus, imò hoc esset à* Christo *diffidere, quasi non sufficienter ipse nos semel & gratis iustificauerit, in lege id quærebant, licet adipisci non potuerunt, nos tamen iustificati, purificati & sanctificati per* Christum *sumus,* Heb. 8. & 10. *Inimiciciæ inter* Deum *& mundū, quæ per legem tolli non poterant, sunt per* Christum *sublatæ, factus est* Deus *nobis propitius pater & nos filij eius.* Et *non solum hoc, sed arram spiritus nobis dedit, ut futuræ gloriæ iam simus participes*, Ephe. 1

Facti iusti, eo solo, quia Christo credidimus.

O *admiranda* Dei χάρις, *quod impijssimi homines simus in cōspectu* Dei *facti iusti, sumus deo per* Christum *reconciliati, non imputando nobis peccata nostra, & sic sumus sine operibus facti iustitia* Dei *& amici* Dei, 2. Cor. 5. & Rom. 4. *in qua gratia iam acquisita nunc firmiter stamus, ut ibidē sequitur* Ro. 5. & 2. Cor. 6. *Sed quid nunc agendū superest, postq̄* Christo *credidimus & iustificati sumus, inquirāt* Lutherani *si non inueniant, dormiant cum sua fide, nō sufficiebat eis fide* Christi *carere, nisi etiā charitatis mercede, & omni uirtutis actione populum priuarent, solo fidei uento homines suspendūt, & seipsos traducunt, fidem se habere dicūt, sed ego nunquàm*

Iustificati, instar Abrahæ, *qui, eo, quòd uni* Verbo *credidit, factus est amicus* Dei.

intelligere

intelligere potui, quid est id quod habēt, quod fidem appellant, uellē quod liberius & sine uiolentia scri=pturas acciperent, reiectaq; animi occupatione pessi ma, non enim est mentitus Christus, quando charita=te, ieiunijs, et precationibus, nos in regno cœlorum thesaurizare, & copiosam mercedem in futuro se=culo nobis parare dixit, imò sine hoc, iustificatio est inanis, & inuacuum gratiam Dei recepimus, ipsi ta men uiolenter ad hæc facienda populum trahere pu tant, charitatem aiunt habete, sed nihil uobis prode rit, ita segnes sua imaginatio homines facit, ut omnia negligant, orare nō curent, dare eleemosynas est in=utile: si de cōtinentia, mortificatione carnis seu ieiu nio loquaris, magno cachinno ridebūt. Dicam de his alibi latius, hæc enim pronunc tangere fuit necesse ut ex hoc institutum meum probem, scilicet quæ sit illa Euangelij fides quā ipsi quærunt, ea enim fides & salus nostra, est hæc stulticia, scilicet Iesum Chri stum esse filiū Dei saluatorē, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, per hanc stulticiam prædicationis placet Deo saluari credentes, stulticiā cū Paulo uo=co, philosophorū iudicio, quæ tamē est sapiētia Dei.

Nomen aliud super omnia sanctissimum יהוה alij essentiam, alij generationem, significare dicūt, utrunque tamen comprehendit, interpretari ꝑ sic

potest יהוה, id est, essentiæ fons, essentiarum genitor, esse faciēs essentians, essendi causa. Cabalistis sua secreta relinquo: & planè dico, q(ut Iod scheua tum nobis indicat) est futurum piel, quod est significationis actiuæ, à radice היה seu potius הוה mutando iod in uau, & uocibus paruis in magnas, ut frequenter fit, & interpretatur יהוה id est, essentiabit, seu esse faciet, quod ad Christum melius dirigitur, quasi Christum esse faciet. Nota magnitudinē arcanorum, q etiam in ipso Dei nomine fuisset futuri Christi nota, indicium, siue prophetia, Christus est quem Iehouah à principio esse fecit, & non solum ipsum esse, sed omnia per ipsum esse fecit. Mutatio illa punctorū facta est ad similitudinē uocis אדני Sicut & interdum habet puncta uocis Elohim, quasi & illarum significationem in se contineat.

Hanc illius uocis significationem comprobare possumus Exo. 6. ubi erat magna facturus & uastaturus Aegyptum, ideo nomen suum Iehouah, quod est nomen tanta facientis, non cognitum patribus, dicit. Fuit enim patribus uisus Deus, & cognitus sub nomine EL, Sadai, Gen. 17. 28. & 35. Ex quorum significationibus hoc loco elicitur, lōge plura per nomen Iehouah importari, nam שדי dicitur à שד quod est uastitas, quasi uastator, seu omnia uastare

potens:

potens: & ita declaratur Ioelis primo, & Esaiæ.13.
כשד משדי id est, quasi uastitas à uastante.
Similiter אל est fortis & potēs, unde EL Sadai,
quasi robustus uastator, sub quo nomine primum
Abrahæ manifestatus est Gen.17. et hoc ideo, ut esset
Abraham robustior in non timendo alios, tum etiam
ut perfectius in timore Domini corā eo ambularet,
sicut dicitur, Ego Deus zelotes, ignis consumens &
terribilis. Licet ergo eis eo nomine uisus sim, licet
experti sint, me Sodomam & Gomorram uastasse,
tamen adhuc non plene nouerunt me esse omnifa=
cientem, nō nouerunt me sub nomine Iehonah, quod
est absolutius esse facientis nomen, qui tanta & tam
multa facio, sicut tu uidebis in his quæ contra Pha=
raonem sum modo facturus. Et hoc præludium de his
quæ facturus erat præmisit Deus, anteq̄ ad declara=
tionem nominis perueniret. Ita etiam post dicebat,
Scient Aegyptij q̄ ego sum Iehonah, qui omnia esse
facio. Consequētia est ualida, ut tantis Christianismi
plagis et uastationibus sciamus q̄ ipse est EL Sadai
& Iehonah. Sed non habemus oculos, induratum est
cor Pharaonis. Prophetæ rem magnam futuram pro
phetantes, eandem solent facere illationem, Ezech.
25.29. & 30. & 3. Reg.20. Vt sciamus q̄ ipse est Ie=
honah, qui tanta cōtra nos facit: non sufficit si dicas,

Iam cognoscimus quòd digitus Dei est, nam hoc & Magi Pharaonis dixere, sed non inquirebant quid peteret qui tanta mala facit. Nec nos inde documentum capere uolumus: maiori diligentia id animaduertebant sacerdotes Philistim. 1. Reg. 5. Nec erubescimus q̃ Ethnici in scripturarũ obseruatione nos superent. Præterea hoc generantis, seu esse facientis nomen ex generatione mundi declaratur, & ex loco primo, in quo illa uox à Spiritu sancto proferri cœpit, nam sex diebus nunq̃ uocatus est Deus illo nomine, quia nondum erat generatio consumata: sed generatione perfecta septimo die, eo nomine primũ uocari cœpit, repetitis generationis & creationis nominibus, Istæ, inquit, sunt generationes cœli & terræ quando creati sunt, in die quo fecit Iehonah. Ibi ergo dicitur rerum & essentiarum genitor, ipse est pluuiæ pater q genuit stillas roris ab utero, cuius egressus est gelu, & pruinã cœli ipse genuit.

Item, ex Euangelio Ioannis, hoc Dei nomen, in eo solo quod dixit, Erat, declaratur, nam illud, erat, Verbi est hypostasis, ut dicam lib. 7. Item, ratione Verbi, ipsum Iehouah essentiantem & esse facientem, Ioannes declarat dicens, Omnia per ipsum fuerunt, & sine ipso fuit nihil. Præterea per Verbum seu Christum generans esse declaratur, quia ab æterno

no & ſemper filiũ oraculo generabat,& per Chri=ſtum potiſſimum illud nomen ſibi conuenit, quia pri mo omnium filio dedit eſſe per oraculi æditionẽ,per quam & alias res eſſe fecit:nam,ut dixi,Chriſtus an te omnes eſt. Et ipſemet Ioan. 8. dicendo, ego ſum, à principio ſum, patris nomen manifeſtat, quia filius æternale eſſe habet à patre.

Sicut eſſentiæ fons dicitur Deus,ita etiam fons lu cis,pater ſpirituum, & pater luminum dicitur, nec lucem hic de prædicamento qualitatis intelligo. Sed quia à Deo fluunt eſſentiales radij,& radiantes an=geli, de eius theſauris à paterno pectore eſſentiales flatus tanquàm filij ex utero patris egrediũtur, mul tiplices proficiſcuntur diuinitatis radij, quæ omnia ſunt Dei eſſentiæ, & ipſe eſt in eis. Nec eſt aliquid in mundo quod uerius dici poſſit eſſentia, quàm id quod Deus ſuo charactere ſubſiſtere diſponit, eius enim accidentalia ſunt magis eſſentialia quàm no=ſtræ quiditates,nec mittitur unquàm ad nos cœleſtis nuncius,in quo non ſit eius eſſentia: lucem ſuam ad nos mittit,& hoc ipſum eſt ipſe met Deus:ſpiritum ſuum ad nos mittit,& hoc ipſum eſt ipſemet Deus, ſemper enim ibi eſt character hypoſtaſis Dei, et pro ptereа Iehouah dicitur Zebaot,id eſt, militiæ, quia eſſentia eius multitudinis numero militat, oẽs illas

militias & cœlestes exercitus essentiæ suæ splendore munit, diciq; potest Iehonah Zebaot, sicut dixi, Iehonah Elohim, quasi dicat, militias essentians, & inde prouenit, quòd diuinitatis nomen nominibus angelorum est immixtum, quia eius essentia est eis immixta. Vides hic plures Deum habere essentias, non enim possunt dici plures res in una essentia, sed bene econuerso: imò dico quod omnium rerum essentiæ est ipse Deus, & omnia sunt in ipso.

LIB. VI.

COGNITIONEM, quam de Deo per CHRISTVM acquirimus (si capacitatem tuam solido rationis iudicio examinaueris) facile agnosces. Est enim Deus de se incomprehensibilis, nec imaginari, nec intelligi, nec excogitari potest, nisi uultum aliquem in eo cōsyderes, & hoc ipsum est Christi effigies & Verbi persona, nā oraculum illud, Christi persona, ut supra dixi, personatū, quod erat apud Deum, erat ipse Deus: nec erat in eo alius uultus, nisi iste, & hoc ipsum est facies Iesu Christi. Et noticiæ aliæ quas de rebus indiuisibilibus se habere iactant Sophistæ, nihil sunt. Stulticia est in conspectu Dei, à suis phantasmatibus et simulacris sunt demen

dementati, ut alibi Deo dãte probabo. Hæc est enim certissima ueritas, & cuilibet sensato euidens, quod nullius rei mundi noticiã habere possumus, nisi aspectum seu faciem aliquam in ea speculemur, & si me ad summulas reuerti cogas, noticia illa non dicitur, rẽ repræsentando uitaliter immutare, nisi quatenus eius rei imago ab ipso phantasmate, intellectui obijcitur. Item, omnes sciunt quod necesse est intelligentem phantasmata speculari: dicant ergo mihi, qualis figura est, seu quam similitudinem habet illud phantasma, quod ipsi speculantur, quando de Deo noticiam habent, nam certissimum est quod phantasma illud quodcũq; sit, uisibilem effigiem præ se fert, quia nullum est in mundo phantasma quod ad rem uisibilem non terminetur, sicut & à rebus uisibilibus sunt in nobis habita, nec capiunt quomodo per illa uisibilia, dicantur inuisibilia intelligi per speculum in ænigmate, sicut per Verbi effigiem uisibilem intelligimus Deum, ex affectibus syllogizamus esse unam primam causam, ex motibus esse primum motorem ratiocinamur, tamen realem illius noticiam nunquàm habuit Aristoteles. Hæc sunt, inquit Paulus, quæ de Deo cognosci possunt, non tamen quòd Deus ipse propterea cognoscatur. Immò totus ille discursus nihil aliud est, nisi uisibilium phantas-

matũ trãſpoſitio. Sed his omiſſis, ex ſolis ſcripturis hoc fit nobis clariſſimũ, quia deus per Verbũ ſuum nobis manifeſtatur, & hanc faciem in Deo te agnoſcere oportet, ut cognoſcas gloriam Dei in facie Ieſu Chriſti, & cognoſces nunc Deum, quẽ nunquàm ante nouiſti, neq; ſpeciem eius uidiſti, Ioan. 5. & ibi εἶδος ſpeciem & formam & faciem Dei ſignificat, ut dicat ibi Chriſtus, Deum non poſſe, niſi in eius facie cognoſci. Sed in facie Ieſu Chriſti cognoſcitur ac ſi Deus uiſibili illo uultu quo facie ad faciem Moyſi uidebatur, ſe mihi ſine uelamine manifeſtaret, & ſi faciem illam quam Moyſes non uidit, mihi clare monſtraret, nihil aliud uiderem, niſi faciem Ieſu Chriſti, & hoc ipſum erat Verbi effigies, & hoc modo inuiſibilis Deus per uiſibile Verbum ſe nobis manifeſtat. Et hac ratione Chriſtus dicitur facies Dei: uniuſcuiuſq; enim rei facies dicitur id, per quod talis res uidetur & cognoſcitur Et Verbi conſyderatione ſecluſa, Deus eſt penitus inuiſibilis & inimaginabilis, nec omnes philoſophi mundi noticiam de ipſo formare ſufficerent, & omnia quæ ſuper his dicunt, ſunt contra Chriſtũ blaſphemiæ, nam pure & ſyncere oportet uerificari ꝙ Deus per Verbũ ſuum uideatur, & qui uidet me, uidet patrẽ, & nemo eum uidit niſi per filium, Ioan. 1. 5. 6. 8. 12. & 14.

Sed

Sed maledicti philosophi sicut metaphysico modo intelligi uolunt, Deus spiritus est: ita solum de uisione Dei corporali oculo intelligi putant, dum dicitur, Deum nemo uidit unquàm: nec capere possunt Euangelicum sensum aliò tendere, dum totiens de uisione Dei fit mentio, qui per IESVM CHRISTVM uidetur, qui nunquàm antea nec uisus nec cognitus est. Noli sophistarum more cruda uerba rapere. Sed semper processus ordinem serua, consydera q, rudes adhuc erant Apostoli, & eos iam uidisse patrem, dicit Christus. Idem dicitur 1. Ioan. 2. tamen nihil aliud uiderat nisi faciem CHRISTI. Nota in quo sensu hæc illi quærebant, & responsionem Christi ad proposi um quæstionis: & dum dicitur, qui uidet me, uidet patrem: nota uerbum, uidet patrem, & uoca hanc, uisionem intellectus, noticiam, cognitionem, seu intellectionem, seu qualitercunq; uelis, & ad proportionabilem sensum concede mihi Deum nunquàm antea uisum, aliâs nihil noui CHRISTVS nobis adduxisset, inaniter se iactaret per se uideri patrem. Si ergo per CHRISTVM nouo modo uidetur Deus (immò tota uisio Dei nunquàm antea uisa est per ipsum) quæ potest esse hæc uisio, nisi persona illa Elohim, quæ nunc in facie IESV CHRISTI relucet, & significanter uideri dixit,

ut imaginarias philosophorum noticias explodat, utinam Deus det eis mentem, ut cognoscant ipsum, & dicant cum Ioanne, uidimus gloriam eius, quem nemo uidit unquàm: nec aliud unquàm uidit Ioannes nisi hanc personam quæ erat apud Deum, & erat ipse Deus, & per Dei artificium hic syllogismus est ualidus, per uisibilem inspectionem illius uultus uidebatur Deus, quia hoc ipsum erat Deus, & hoc ipsum nunc est facies CHRISTI, ergo in facie CHRISTI uidetur Deus, et ita proprie IESVS CHRISTVS est nunc in Deo, sicut oraculum illud quod erat ipse Deus, erat apud Deum, & ex hac ratione probat CHRISTVS, per se uideri patrem, quia pater in se est & ipse in patre, semper enim debes cogitare qualis erat olim illius oraculi Dei inspectio, & ad faciem CHRISTI conferas: & dic nunc clarius uideri Deum, nunquàm obliuiscaris, audi ipsum adhuc hodie è cœlo clamantem, uidendo me uidetis Deũ, uidendo me uidetis patrẽ.

Ex his apparet quòd uerbũ illud tali uultu personatum, non erat uox articulata, nullam habens subsistentiam: nam de illa nõ ita de per se dixisset Iohannes, erat Verbum, sed ideo, erat, dixit, quia per se subsistens apparebat, immò nihil aliud nisi oraculum illud subsistere uidebatur, quasi inuisibilis Deus

in

in eo lateret. Et ad mentem Ioannis oraculum potius dicerem quàm Verbum uel sermo, & mens Iohannis est ista, In principio apud Deum erat quoddam oraculū, & hoc erat ipse Deus, & hoc ipsum erat lux quæ ab existentibus in tenebris non potuit comprehendi, sed nos uidimus eum postquàm caro extitit, quia hoc ipsum est hodie splendidus CHRISTI uultus. Præterea oraculum huic rei conuenit, nam hoc ipsum erat illud oraculum, quod angelicis alis erat tectum & obumbratum: oraculum, per quod Deus Moysi responsa dabat, & ita oraculum illud erat in recondito domus, sicut CHRISTVS in umbraculo omnipotentis erat absconditus. Item, hanc arcani significationem comprobat hebraica uox, nā à דבר quod est logos, uenit דביר quod est oraculū illud templi Psal. 27. 2. Para. 5. & 3. Regum sexto. Christus enim est uerum oraculum per quod Dei responsa accipimus, sicut & ipse propitiatorium dicitur, id est, propitiatio pro peccatis nostris: coopertorium, propter quem, beati quorum tecta sunt peccata. Et sicut CHRISTVS nunc est oraculum, ita olim non modo in templo, sed antea in tabernaculo, & etiam ante tabernaculi structionem eius persona erat illud oraculum, unde Moyses intra nubem accipiebat responsa. Ibi etiam erat illa lux

quæ secundum Ioannem intra nubis tenebras luce-bat, quæ omnia ex lege oportet elicere, tametsi nos id parum curemus.

Ex his nota, quòd improprie dicitur CHRI-STVS imago Dei, immò plus est quàm imago, nam imago est, quãdo duæ res sunt simili modo figuratæ & quælibet dicitur imago alterius. Sed non sic in CHRISTO & Deo, ut si Gabriel angelus ueni-ret ad me in forma aquilæ uolantis, an dicerem, Hæc est imago Gabrielis: uere etiã si imago dicatur, plus est quàm imago, scilicet effigies seu character repræsentans, immò continens hypostasim eius: & oracu lum illud non potuit proprie dici imago patris, sed plus quàm imago, erat enim ipsamet facies Dei, & ipsemet Deus erat effigies seu forma quædam: ipsum met esse Dei continens. Similiter CHRISTVS est plus quàm imago, licet uerba me deficiãt, ut mea barda lingua id possim explicare, nec clarius dicere possum quàm Paulus dixit character hypostasis dei, id est, sculptura, in qua ipsamet res tanquàm pro-pria facie relucet. Dauid & Moyses תמונה ap pellant, Psal. 16. & Deut. 4. Et nota bene in quo sen su ibi dicatur imago, dum dicitur, imaginem non ui-distis, nam si in illo sensu imaginem hic capias, recte senties: erat enim imago ibi ipsa faciei forma, non per

per relationẽ ad alterius imaginati similitudinem, & in hoc sensu dicetur CHRISTVS εἰκὼν, id est imago Dei, quia est effigies, hypostasis eius est repræsentatio quædam, seu ipsa rei per speciem exhibitio, Ioan. 5. Proprie ergo CHRISTVS dicitur εἰκὼν, id est, effigies seu insculptura quædã, ipsummet esse Dei præ se ferens. 2. Cor. 4. & Col. 1. Similiter χαρακτὴρ dicitur, Hebræ. 1. hoc est, insignis nota, hypostaseos, id est, existentiæ Dei, quam uidendo dicor uidere Deum, sicut uidendo Aquilam illam dicerer uidere Gabrielem, aliâs Deus non posset se nobis uisibili forma patefacere, nam si hoc fieri potuit, factum est per oraculi inspectionem uelatam, & demum per faciem IESV CHRISTI reuelatam, nam ipsamet uisio faciei eius est uisio Dei, sicut ipsi Tobiæ uisio illius iuuenis erat uisio angeli, & uisa columba dixit Iohannes, Vidi spiritum Dei descendentem.

Ex his patet, philosophos super huius characteris inquisitione longe aberrare. Argumentum hoc quod contra me Achilleum putabant, factum est eis gladius Goliæ, nec ipsi unquàm uerificare potuerunt, quomodo filius dicatur character hypostasis Dei, mirabiliter sunt decepti, loquentes de hypostasi

Faciē aliquā imaginari oportet in eo qui dicitur imago.

patris, & nō de hypostasi Dei, & patris imaginem quasi alterius rei metaphysicam similitudinem dicunt, & non imaginem Dei, cum tamen iste sit modus loquendi Euangelicus, & etiam ueteris testamenti, ipsi tamen modos loquendi scripturæ subterfugiunt omnia subsannando: nec dicitur ad sensum eorum imago patris, sed effigies Dei, character Dei, immò notanter addidit Paulus, effigiem Dei inuisibilis, quasi dicat, in homine uisibili esse εἰκόνα inuisibilis Dei, quæ omnia tendūt ad Magistri dictorum interpretationem, Qui uidit me, uidit patrem: &, si me nouissetis, nouissetis & patrem. Quibus dictis & uetus testamentum amplissima testimonia dat supradictis locis, in quibus de hac imagine fit mentio, & illam effigiem uocat Deus nostram, quia illa una & eadem CHRISTI facies, est utriusq;, ipsamet oraculi persona erat Dei facies & uultus.

Dicitur ergo CHRISTVS, aspectus, facies, effigies, signum, character, sigillum, insignis nota, insculptura quædam hypostaseos, id est, existentiæ Dei, quia in eo solo subsistit Deus, nec est Deus per aliquem alium cognoscibilis. Et sicut in medio immensitatis & inaccessæ lucis apparet solaris uultus, ita in medio altitudinum & profunditatum Dei apparuit eius oraculum, IESV CHRISTI persona

ſona, id ipſum erat Deus, id ipſum nunc eſt uiſio Dei, iſte eſt nobis poſitus pro ſigno, nec eſt in aliquo alio ſalus, nec aliqua alia Dei uiſio, nec aliquid aliud uidit Ioannes, dum dixit ἦν πρὸς τὸν θεόν. Hæc eſt altitudo & profunditas cognitionis CHRISTI, hæc eſt illa Dei uirtus, diſpoſitio & œconomia, quæ omnia in mundo operabatur, ſicut & Ioannes dixit, Omnia per ipſum fuerunt. Et huc uſque aſcendit CHRISTVS, factus Dei uirtus & potentia, quod recte nos docuit ipſe magiſter, dicens, Sine me nihil poteſtis, ſicut ſine Deo nihil poſſumus, nam omnis potentia Dei eſt per ipſum, omnia per CHRISTVM facta ſunt in uirtute, omnia per CHRISTVM facta ſunt in Verbo, omnia per CHRISTVM facta ſunt in perſona, non modo facta, id eſt, ab initio creata. Sed totus proceſſus & ordo mūdi per eius œconomiam gerebatur, ipſius glorioſa facies, quæ in medio illius inacceſſæ lucis olim nube tegebatur, hodie reuelata relucet, & æque proprie eſt nunc CHRISTVS in Deo, & realiter, ſicut antea erat in eo perſonaliter, & ab illo oraculo fluens energia, quaſi oris flatus dicebatur ſpiritus Dei, erat enim flatus Elohim CHRISTI, Gene. 1. qui hodie eſt nobis ſanctus ex ore CHRISTI fluens, Ioan. 20. Et ibidem Geneſis 2. naturalem uitæ

Poſuit tenebras latibulū ſuum.

spiritum, sicut & hodie supra naturalem afflatu suo dedit, & plura adhuc hic latent arcana, nam ad huius oraculi similitudinē ex oraculis scripturæ emanat in nobis Spiritus sanctus, tanquàm flumina aquæ uiuæ: idem enim est spiritus oris eius, ex oraculo æterno, & ex ore CHRISTI, & ex oraculis scripturæ, & hæc ipsa oraculi energia & uirtus, est spiritus CHRISTI æternus, de quo supra dixi.

Si petas quomodo de Deo loquimur, & tanta de illo dicimus, si non intelligimus eum, nec habemus noticiam illius. Ad hoc respondet Paulus, quòd spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, & ea quæ inuisibilia sunt, Deus reuelat nobis per spiritum suum qui in sanctis scripturis latet, ego enim ea quæ de Deo in Biblijs habentur, ut discam, laboro. Sed quæ per philosophicas noticias acquisiui, nihil sunt ad nos erudiendum, datus est de cœlo liber, ut in eo Deum inuestigemus, adiuuante ad hoc fide, quæ nō est ille crudus sophistarum assensus. Sed motus cordis, sicut dicit scriptura, Corde creditur, & si ex toto corde credas, & pro huius fidei obiecto, quæcūq; Dei per speciem exhibitio sufficit, sine illa philosophica de Deo noticia. Hæc sola ratio philosophicam noticiam destruit, quòd quilibet homo suam habet de Deo imaginationem, & à quocunq; alio di-

uersam

uersam. Item CHRISTI *fides ad hoc mirabiliter iuuat, quia per eam spiritum accipimus, & nisi prius credideris* IESVM CHRISTVM *esse filium* Dei, *nunquàm intelliges teipsum.* Hæc *est stulticia, seu potius cœlestis philosophia, quæ non ex* Aristotele, *sed plenissime & clarissime ex diuinis fontibus hauritur, si modum loquendi scripturæ sequamur, nam in ipsis met uerbis latet spiritus & sapientia, & stylus sapientiæ, quia omnis sermo, omnis scriptura, diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, correctionem & institutionem, 2. Tim. 3.*

Nec unam literã intelligere ualemus, nisi ipse per spiritum suum reuelet.

Et respondeo ad quæsitum, quòd noticiam Dei *habeo, & hæc noticia est eius oraculi uisio, & ipsamet uisio est qua uidendo me, uidetur pater per speculum in ænigmate, & hic cognoscitur Christianorum uera* CHRISTI *fides, quæ ideo dicitur index eorum quæ non uidentur,* Philosophis *tamen qui omnia sciunt, qui de omnibus habent noticias, non est opus fide, immò uere est eis* CHRISTVS *factus ociosus, quia non aliter nunc quàm ante* Deum *cognoscunt.* Nos *uero scimus factam arcani ocularem manifestationem, scimus* Deum *per* CHRISTVM *uideri, ita* Deus *statuit & uoluit se in eo speculo speculari, sicut olim per oraculi aspectum, & hæc* Dei *uisio* Christianis *plenissime sufficit, ut per eam inui-*

ſibili Deo ſpiritu fruamur, nam CHRISTVS *eſt uia, & ſpiritu per eum oportet* Deo *appropinquare, & non per illas noticias, cuius totum oppoſitum per illos factum eſt: ſuo ſenſu tres illas mathematicas res palpare ſibi uiſi ſunt, cum nihil minus quàm eas cognoſcerent.* Noticiam *dicunt eſſe qualitatem quandam à phantaſmatibus abſtractam, etiam in calcaneo ſitam. Sed dabit his nugis deus aliquando finem, miſeret me quòd non modo ſit mathematica imaginatiue deluſio, ſed etiam horribilis in* Chri*ſti doctrinam blaſphemia, ſufficiat eis per ſpeciem habere in capite imaginationes, non quærendo in calcaneo noticias, alias quàm per* CHRISTVM *de* Deo *uiſiones nolint nugari: nam etiam ſi omnes angelos cœli, apertis oculis uiderent, tamen* Deus *adhuc profundius latet, angelico indutus ueſtimento, quaſi extenſa pelle.* Nec *philoſophi hic de angelorum natura, quam neſcio, me impetant, nam extenſa dico, nō localiter, quia* Dei *artificia ſunt ſupra locum.* In*ſaniſſimi homines, omnia quæ extra corpus ſunt, ad inſtar puncti redigunt, in tantam deuenerunt inſaniam, ut ipſum* Deum *dicant eſſe ſicut punctum in eadem planicie pluries repetitum.* H*æccine eſt noticia, quam de* Deo *gloriantur?* Deum *oro, ut ſpiritus eius tangat eos dum iſta legent, ne*

forte

forte sint eis odor mortis ad mortem.

Si hunc planissimum uidendi Deum modum admittant, intelligent melius quid sit spiritus Dei, & Spiritus sanctus, nam omnia ex CHRISTI cognitione pendent, & eo ignorato omnia ignoramus. Et sciendum, quòd licet communiter tres concedantur hypostases, tamen proprius loquendo, dico, quòd in Deo erant duæ dispositiones, scilicet oraculum & spiritus, & in solo oraculo erat uisibilis hypostasis: nam uidendi ratio non proprie attribuitur ei quod est in forma spiritus, nec in eo est facies rei permanentis, sicut in oraculo, nec spiritus dicitur factus tale quid, sicut oraculum factum est caro. Sed cognoscimus eum, non eo solo, quia flatum uidemus: sed quia ad intra percipimus, Ioan. 14. Et quasi per modum auditus, ut dicit CHRISTVS Ioan. 3. Et ita Acto. 2. uidebantur quasi linguæ ignis, & uehemens sonitus audiebatur, & uisibili persona placuit Deo spiritum infundi, ut maiorem de hac diuina dispositione certitudinem haberemus: & licet nobis uisio illa non supersit, tamen eum in nobis esse experimur, dicto capite 14. & 2. Cor. 13. Per hoc cognoscimus, ut Ioannes inquit, nos in eo manere, quia spiritus energiam in nobis percipimus.

Omnes mūdi hæreses ex Christi ignorantia ortæ

Non erat nisi una hypostasis, scilicet p̄sona Verbi.

Animaduerte obsecro ad CHRISTVM &

eius ſpiritum cognoſces: tanta enim operatus eſt glo rioſus IESV CHRISTI aduentus, ut omnia mu tata ſint, cœlum nouum, terra noua: in cœlum nos fecit aſcendere, cœlum apertũ eſt, & patefacto ora culo ſuo Deus ſe ipſum nobis aperuit, portas Dei in troiuimus, ea quæ in eo latebant uidentes, & uer bum eius manibus contrectantes, & eius ſpiritum in nobis ipſis percipientes. Primo de oraculo iam dixi, quod nulla eſt alia in Deo oraculi perſona, niſi Chri ſtus ipſe IESVS, quaſi oraculum illud receſſerit à Deo, quando caro factum, uere tamen non receſſit; ſed CHRISTVS aſcendit ad Deum, & inde cœ lum ſecum ad nos adduxit.

Fide Chriſti hæc oĩa perci pimus, ſine qua neſciunt Lutherani qđ eſt regnum Chriſti, nec Euangelium eius.

Proportionabiliter de ſpiritu dico, quòd ſpiritus Dei quaſi receſſit à Deo, dum ad Apoſtolos miſſus eſt, Acto. 2. Vere tamen non receſſit, ſed nos aſcen dimus ad Deum, & cum CHRISTO ſedere nos fecit in cœleſtibus. Nec eſt nobis ſpiritus ſanctus res ſupra poſita. Sed miro Dei artificio ex eius præſen tia res obſcura efficitur lucida, ſicut facies IESV CHRISTI facta eſt lucida in mõte abſq; alicuius rei unione ſuperuenienti, & hanc comparationem inuenies Matt. 17. & 2. Cor. 3. Dic igitur, quod ſpi ritus ſanctus, eſt diuina in hominis ſpiritu agitatio, Sic quæ agitando illuſtrat Deus, & illuſtrando ſan ctificat,

Reſolutio de Spũſancto.

ctificat: nec exigitur hic definitio quiditatiua, nam de genere motus est uox spiritus, quasi motio impetus & halitus, & quia sic mouendo, CHRISTO credentes, sanctificat Deus: ideo dicitur, spiritus in homine sanctus, & ex fide CHRISTI.

LIB. VII.

DE filiatione in diuinis, & CHRISTI diuinitate, & Verbi hypostasi, solēt moueri quæstiones, quas ego paucis absoluo. Ab initio fuisse dico filiationem in diuinis, non realem, sed personalem, Verbum erat filius, non realis, sed personalis erat filius, quatenus erat CHRISTI persona, nec unquàm in scriptura filius uocatur, sed CHRISTO attribuitur æterna generationis ratio, & ea quæ erant in lege, erant umbra corporis Christi. Aliqui tamen emanationem noticiæ seu Verbi ab intellectu diuino per modum filiationis emanantis, hic somniant, sed sua somnia parum conuincunt, nisi Verbum fuisse realem filium scripturis probent, & emanationes istæ reliquiæ sunt ex Valentinianis emissionibus derelictæ, emissiones illæ seu emanationes intrinsecæ mathematicæ sunt, & scripturis ignotæ, & emanationis uocabulum, quid philosophicum sa

pit quod intra Dei naturã cadere nõ potest, id enim quod emanauit à Deo, est ipse CHRISTVS qui exiuit à patre. At in Deo ad intra nulli sunt exitus, nec emanationes, sed erat CHRISTVS in mente diuina præformatus, erat quidam modus se habendi quem in seipso Deus disposuit, ut seipsum nobis pate faceret, scilicet IESV CHRISTI effigiem in se ipso describendo, nam totum hoc ad CHRISTI gloriam explicandam fuit præordinatum. Et Ioannes non dixit Verbum emanasse à Deo, sed erat in Deo, & Deus erat Verbum. Nec logos rationem significat, scilicet interiorem illam & philosophicam intellectus, noticiam seu mentis conceptum, ut aliqui imaginarie dicunt. Sed dicitur logos dicendi ratio, uocalem rationem significat quasi oris ratiocinationem, secundum naturam Verbi λέγω. Nec unquàm aliter pro ratione apud probatæ linguæ græcos reperitur, quod nota perpetuo, nam in sola uocabuli, logos, imaginaria ratione consistit deceptio, & cogita bene, quid proprie significet uerbũ λέγω, & uidebis esse oraculum, de quo supra memini.

Logos, dicendi ratio.

Item, falsa imaginatio ex œconomiæ diuinæ instituto cognoscitur: nam illa uerbi ratione ex mero beneplacito usus est Deus ad hoc, ut seipsum nobis patefa-

Finis dispositionis Verbi ut se Deus manifestet.

patefaceret, sicut sub ea olim se (obscure tamen) patefecit, erat enim uisibile Verbum, ad quæ omnia respicit Ioannes, statim subijciens, Deum nemo uidit unquàm: narrauit enim ueteris testamēti processum Moysen CHRISTO comparando, & tu, nisi ad uetus testamentum respicias, nunquàm intelliges nouum, quod ex ueteri totaliter oritur. Sed quid alias probationes quæro, cum ostensum sit libro præcedenti, tales philosophorum noticias nihil esse, sed mathematicas imaginatiue delusiones, & hæc ratio erit cuilibet uiro sensato fortissima, ut necesse hic sit faciem Elohim speculari. Erat igitur oraculum, Dei hypostasis, CHRISTI persona, numen illud, quod ipsi soli Deo erat filius, quia apud ipsum solum erat Verbum hoc: nobis tamen solus CHRISTVS dicitur filius, res erat nobis futura, sed Deo nihil est futurum: rei nobis futuræ erat in Deo character, ac si rem, quæ non est, sed cras erit, in speculo nunc uiderem. Hæc enim est altitudo & profunditas œconomiæ diuinæ, & Verbum, quod prius erat apud Deum, est nobis factum filius. Et nihil interest, etiam si dicas, quòd erat apud Deum filius, immò dico, quòd erat apud Deum CHRISTVS, qui post uenit & incarnatus est.

Verbum uisibile secundū Ireneum.

Deitatem in CHRISTO & maiori plenitudi-

Ad secundā quæstionem.

ne quàm excogitari possit, semper nititur Paulus nobis aperire, sed non per illam metaphysici filij unionem. Quorsum enim exclamaret Apostolus tantam in CHRISTO plenitudinem & latitudinem, impervestigabilem diuinitatis claritatem, diuitias, gloriam &c. Quid tantis opus fuisset, nisi dicere quòd illa secunda res erat CHRISTO carnaliter unita, quod tamen scripturis nunquàm est auditum. Si ergo bene consyderes, Pauli inuestigatio suam metaphysicam damnat. Quam rem, ut melius declarem, harum de diuinitate imaginationum originem referam.

Paulus de Samozata ante Arrianos philosophos & trinitarios, CHRISTI mysteriorum, qui in hebraicis latent, penitus ignarus, simplicem hominem non Deum, qui tunc primum & non antea fuerit, CHRISTVM asserendo, philosophos græcos, hebraice etiam ignaros, & Aristotelica contagione infectos, scandalizauit, eosq; in cœlum sine alis ascendere coëgit, ubi diuinitates uenari quilibet suo sensu cœpit, ilicoq; innumera hæreticorum orta turba: & puto fuisse diuinæ punitionis iudicium, ut eodem tempore Papa efficeretur rex, quo est trinitas orta. Sicut & Salomoni ilico pro tempore peccati plures aduersarios suscitauit Deus, 3. Regum 11.

Duæ pestes grauissimæ Aristotelis fermentũ, & hebraicæ linguæ ignorantia nos Christo priuarũt.

Et tunc Christũ ꝑdidimus.

Nos

Nos igitur, ut tales errorum labyrinthos euitemus, sanius de diuinitate loquamur, multisq; modis has in CHRISTO diuitias supra inuestigauimus, tametsi pro eius dignitate nihil mihi dixisse uideor, nec Paulus aliter hoc sciret explicare, quàm exclamando lõgitudinem, latitudinem, thesauros, arcana.

Aliqua tamen diuinitatis eius præconia recolã, quorum radix est, ut eum fuisse Elohim, memoria teneas, ex quo profunditatem arcani, quomodo ab initio erat apud patrem, in oraculo contemplabis, & qualiter ipse nunc est in patre realiter, sicut antea erat in eo personaliter. Splendorẽ faciei eius, à quo totus orbis est illuminandus, supra meminimus, licet philosophi faciem humanitatis, tanquàm alterius hominis nunc esse in cœlo, & ociosam consyderent. Sed diuina in monte transfiguratio & Pauli uisio eos confundit, claudunt oculos, ne uideant ipsum è cœlo clamantem & dicentem, Qui uidet me, uidet patrem. Hæc sola uisio, si eam frequentes, te totum in cœlum rapiet, & ab omni errore purgabit.

Christus hãc lucem magni facit, nõ enĩ erat qualitas, sed naturalis dei splendor.

Aliud diuinitatis præconium quod hæc omnia superat, est, pater in eo manens, qui per ipsum solum uidetur, ipse est paterna facies, nec est alia Dei persona nisi CHRISTVS, non est alia Dei hypostasis, nisi ipse, plus quàm per suam metaphysicam

Non est alia facies, nec persona, nec hypostasis Dei, nisi Christus.

possit decorari, ex patris præsentia decoratur Christus, ipsi unam portionem, ego totam Dei naturam in eo dico, in eo est tota patris Deitas, in tantum, quod & angeli hoc admirentur: & nō solum est sibi præsens Deus, sed est sibi data tota Dei potestas, licet ipsi nihil horum homini tribuant, ego tamen dico ipsum esse Deum & mundi Dominum: longe singularius quàm lux in facie apparere possit, est in eius spiritu paterna claritas.

Ecce duas in Christo naturas tota Dei natura & potestas est in homine.

Hanc igitur tam multiplicem Deitatis plenitudinem obscuraret sola illius secundæ rei unione contentari, nec hoc fieri potest, nisi de patre filium facias, aut patrem à CHRISTO remoueas, nam nihil est in eo quod filius dici possit, nisi ipse pater solus, ergo CHRISTVS dicitur filius, & pater est in filio.

Si tibi de radio aliquo in homine loquantur, eis obijcias uerba Magistri, scilicet, Pater in me est, pater in me manens, in quorum uerborum obseruatione nemo unquàm falli poterit, nec ipsi contra te uerba similia adinuenire poterunt. Et radij illius mathematici error oritur ex uerbo Ioannis non intellecto, credunt per Verbum caro factum, radium illum CHRISTO uniri, tamen aliud est uniri, aliud caro fieri. Item, non dixit Ioannes, Verbum caro fa-

ctum

ctum ad mentem illorum: sed Verbum caro fuit, Verbum caro extitit, & hæc est proprijssima significatio, ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο. Nam illud quod erat Verbi persona, est nunc ipse CHRISTVS. Vtinam nos legissemus, Verbum caro fuit. Sicut ibidem dicitur, Fuit homo missus à Deo. Eadem enim est græca uox, similiter omnia per ipsum fuerunt, & sine ipso fuit nihil. Sicut & Psalmo 32. Ipse dixit & fuerunt. Gen. 1. dixit Deus, Sit lux, & fuit lux. Hebraica enim uox est, ibi in hac significatione clarissima: & Ioannes eo uerbo usus est, quo Deus in principio mundi usus est, & pro היה posuit, ἐγένετο, quod & græca trãslatio clare indicat, sicut et pro דבר posuit λόγος. Antiquiores, hominem Deo mixtum dicunt, potius quàm unitum. Sed etiam si dicas, hominem Deo, seu Deum homini unitum, siue Deitatis rationem CHRISTO unitam, non improbabo, hoc tamen non sub filiationis ratione, nam hæc ἰδιότης seu filiationis ratio in solo homine est, nec ἰδιότης illa naturaliter cõueniebat τῷ λόγῳ. Sed in quantum erat hominis cælatura, & hæc est mens Irenei, & etiam Tertuliani, qui transitum dicit esse factum de Verbo in carnem, & cum hoc Deitatis rationem esse homini immixtam & unitam, quia hoc ipsum est Deus in CHRISTO.

Elohim, in p̃sona homo, & in natura Deus, quod perpetuo tene menti.

Sunt enim duo consyderanda, res & persona, res ipsa Deus, & dispositio Verbum, & Deus erat Verbum, & omnis proprietas in ratione Verbi transiuit ad hominem qui est nunc in Deo, eo modo quo antea Verbum erat apud Deum, & cum hoc res ipsa omnino in homine est unita & innixa, quia Deus erat in CHRISTO, *mundum reconcilians.*

Item, consydera quid sibi uelit dictio, cælatura, & cognosces te à tua mathematica imaginatione deceptum, nam id ipsum quod erat, erat CHRISTI *cælatura.* Textus *est clarus, qui superioribus seculis erat inintelligibilis.* Zachariæ 3. Ego, *inquit, cælabo sculpturam eius.* Hebraice *sic dicitur,* הנני מפתח פתחה *id est,* Ecce ego *cælãs, seu aperiens cælaturam seu sculpturam eius, sicut faber lapidem cælando & aperiendo imaginem fabricat, significat enim* פתח *quasi lapidem aperiendo cælare, & latentem figuram scupro detegere, & hoc modo absciso de mõte lapide diuino, aperta est eius figura, quæ antea in caligine latebat.* Huic *concordat* Chaldæus *interpres, qui aspectum eius reuelandum uertit, sic enim habet targum* Ionathæ הא אנא גלי חזיותהא *id est,* Ecce ego *reuelo siue aperio uisionem eius.* Et ut *semel dicam, tam lex quàm omnes prophetæ, faciem, imaginem,*

recon

reconditum, abſconditum, habitaculum, umbracu lum, cum hiſtorijs & CHRISTI prophetijs ſæpiſſime miſcent, quia illa, quæ omnia, ut Luc. 24. & Matt. 11. inquit Chriſtus, de ipſo in lege & omnibus prophetis ſcripta ſunt, Spiritus Domini cælauit, ut ſub cælatura argentea lateat uerbum aureum, quod arcano Dei cōſilio hiſtoricis typis ceu tectorio quodam contegitur, ſicut CHRISTVS ipſe ſub cælaturis tegebatur, & hac conſyderatione ſecluſa uelle prophetias ad CHRISTVM aptare, eſt deſipere, in qua re Iudæi recte nos accuſant.

Ad tertiam quæſtionem.

Verbi hypoſtaſi nihil præiudicat, quòd uocem Dei eſſe dixi: nam & Petrus dicit, quòd erat CHRISTI præcognitio, qua præcognitus & præordinatus fuit ante mundi conſtitutionem, & manifeſtatus poſt, 1. Pet. 1. Et hoc ipſum Hieremias cogitationem cordis ſui uocat, cap. 23. & 33. Sophiſtæ tamen neſcient hic aliud, ſine diſtinctione dicere, niſi quòd CHRISTVS, tanquàm unus de nobis erat prædeſtinatus. Sed abſit à me tanta ſtulticia: nolunt iſti diuini artificij miracula admirari, ut concedere malint Deum non poſſe ad unam certam rem, potius quàm ad aliam ſine qualitatibus peculiariter reſpicere: expreſſa & ſpeciali uoce eſt filius à Deo genitus, æque uere genitus, ſicut mundus creatus, immò

per illam prolationis efficatiam, per quam eum genuit, per illam eandem mundum creauit, lucem fecit, & rebus uitam dedit, non aliter nobis uitam daturus, nisi per filij generationem. Item, uisibilem ad instar CHRISTI se fecit Deus, et eo oraculo mundum gubernabat, sicut eum nunc CHRISTVS gubernat, erat tunc CHRISTVS apud Deum in uirtute, in Verbo, & in persona. Si hæc omnia ipsis sicut & CHRISTO conueniant, dicant Sophistæ, se esse Christos prædestinatos.

Lux & uita per ipsum, Ioan. 1.

Hanc igitur hypostasim per Verbum, erat, nobis commendat Ioannes, uisibilemq; fuisse indicat. Rem enim nobis perceptibilem enarrat, sicut & ipse perceptibiliter intelligebat, nec obstat si dicas eum reuelatione Spiritus sancti id nouisse, nam Spiritus sancti reuelatio hominis capacitati est accommoda, aliâs delusio esset, & non reuelatio. Ioannes enim homo erat, & communem intellectum habebat, sicut nos. Paulus etiam uisiones & reuelationes appellat, 2. Cor. 12. Et ita semper dicitur uisio Prophetæ, uisio Prophetiæ.

Cogita & considera quid est id quod intellectui Ioannis sese repræsentabat, quum enarrare cœpit, nam id solum quod percipimus, fuisse dicimus si rem gestam narremus, & sola oraculi effigies erat in

intellectu

intellectu Ioannis, ideo (erat numen illud) recte dixit, quod ab antiquioribus persona, ideo uocari cœpit, quia personata facies. Et articulus græcus hic aliquid iuuat, quasi ad oculum demonstrans, similisq; hebraice addi solet articulus, In principio erat ille sermo, illud oraculum, Erige oculos & uide.

Expende hic quorsum persona uocari cœpit.

Nec absimilis est ratio de spiritu sancto, nam qui spiritum in se esse sentit, ita articulate de eo loquitur, quasi digito demonstrare uolens, sed philosophis hæc res est ignota, est tamen summe admiranda dispositionum Dei efficacia, ut ita sensibilis rei præ se ferant hypostasim. Et distincte loquitur scriptura, de his quæ distincte percipiuntur, capacitatem nostram, seu modos percipiendi, potius quàm philosophias attendit. Sed nos insanimus ab ea quæ ita familiariter se nobis accommodat, erudiri nolentes, tentare & probare nosipsos iubet, an spiritũ in nobis percipiamus, potius quàm inquirere quæ res sit, aut cuius naturæ, nã sæpe testatus sum nunquàm in scriptura de naturis agi.

Ille ipse quẽ ante oculos uides, spiritum ad intra pulsat.

Iterum consydera, si tu esses Ioannes, filius Zebedæi, non philosophus, si rei quam non uides uocem audires, uocis conceptu seruato, post enarraturus diceres, uox illa erat talis, & taliter se habebat. Ergo multo fortius de Verbo uisibili & sub-

sistentiam habente illud, dici potuit. Hæc est oraculi hypostasis quam Ioannes & antiquiores eius discipuli per essendi Verbum commendant, erat enim ibi subsistentia, de per se perceptibilis & lucida apprehensio illius personæ, cuius claritatem, ut Ioannes inquit, tenebræ non apprehenderunt, immò nihil aliud nisi oracilum illud subsistere uidebatur, ideo de solo Verbo dicitur, erat.

De tertia illa re nunquàm dicitur, erat.

Hanc eandem hypostasim per uerbum, iah, nobis commendat Dauid, loquens de Elohim CHRISTO, iubet eũ laudare in nomine eius quod est יה id est, existens subsistentia hypostasis, exaltate, inquit, equitantẽ per inhabitabilia in iah nomine eius, Psal. 67. Similiter Psal. 101. de CHRISTO loquens dicit, quòd populus qui creabitur laudabit iah, id est, existẽtem illum, qui est, CHRISTVM, sicut ipse dicit, Ego sum. Moyses etiam in Cantico eum uocat Iesuah, Iah, EL, & Elohim, Exod. 15. Et quia ipse dicitur Iah, pater dicitur Iehouah, id est, existentem essentiabit, seu CHRISTVM esse faciet. Eandem sui ipsius hypostasim commendat ipsemet Elohim CHRISTVS, Exod. 3. dicens, Ero qui ero. Et post carnem, CHRISTVS ipse dicebat se esse, & à principio esse, quia pater eum Iah, id est, hypostasim iam ab initio esse fecit. Et

Psal. 54. CHRISTVS dicitur ישב קדם id est, residens ab antiquo, siue manens ab initio. Mirabiliter ergo Ioannes à Magistro edoctus dixit, erat, cum Christus olim dixerit, ero, & Dauid dixerit, existens. Et iterum Magister, à principio sum, & in Apocalypsi, qui erat, qui est, qui uenturus est.

Et uide diabolici spiritus uersutiam, à quo tamen ueritas laudatur. Simon Magus, ut in Christi prædicatione confusionem poneret, stantem se uocari faciebat, & se ab initio stantem dicebat, ut illi non credentes, nec Christo crederent. Immò ad instar Christi dicebat, se esse illum qui in monte Sinai legem Moysi dederat: de Christo enim hæc omnia uerissime dicuntur.

Rebus igitur, secundum hanc consyderationem se habentibus, cogita tu, si Euangelium à Iohanne nondum esset scriptum, nulla unquàm in mundo de Trinitate mentione habita, sed circa solam Christi personã orta quæstione, atq; Ebione & Cherinto renascentibus, an posses aptioribus uerbis rem explicare. Nec credo intrare posse intellectum rationis capacem, ut res tanta possit paucis melius enarrari, & tam conformiter ad omnes alias, tã ueteris quàm noui testamenti scripturas. Ego enim eo ipso quòd oculos erigo, uideo Ioannis uisione oraculũ illud ab

æterno ueniens, uideo IESVM CHRISTVM in nubibus cœli, ſpeculatore Daniele uenientem, in quadriga Ezechielis & inter myrtos Zachariæ equitantem, & in ſolio Eſaiæ ſedentem. Et cum hoc fuerit rationis diuinæ artificium, cogor dicere fuiſſe logon. Nec aliter hoc melius explicare poſſum quàm dicendo, erat, eaq; de cauſa Ireneus à uerbis Ioannis nunquàm recedens, etiam ſi re ipſa logon à patre non diſtinguat, tamen hanc uerbi hypoſtaſim nunquam non mirificat, diſtincto illo modo loquendi ſemper utens, & cum hoc ſcopū ſemper in Chriſto fixum habebat, quem ſi tu ſimiliter fixum habeas, longe plura de Verbo illo ſeu oraculo concedes, dummodo quando de filio fuerit mentio te à Chriſto non diuertas, nam Verbum illud caro extitit, ego ipſe qui loquebar ecce adſum, & oculo ad oculum uidebunt, quis uel cæcus hoc non uidet? Ego ipſe, ille ipſe, quem oculis cernis & manibus tangis, diuina illa effigies eſt, nunc corpus, erat hoc ipſum quod Deus, & nunc eſt hoc ipſum quod homo, & manet Deus, & in Deo ſicut antea. Erat antea rationis diuinæ quædam deſcriptio, ideo logos, nunc autem ſimilis noſtri homo formatus, diuina illa forma in homine relucens, quaſi carnem induit, licet ſit hoc ipſum quod homo diuinitati immixtus.

Nota, q. dictæ uiſiones probant fuiſſe logon.

Eſa. 52.

Simili-

Similiter, si Ignatium Ioannis Euangelistæ discipulum legas, eandem sicut in Ireneo phrasim reperies, quam obsecro serua, nec ab antiqua traditione in puncto recedas, & ex hoc omnes nostri seculi ad inuentiones, blasphemias, & nugas facile reijcies.

Res longe facilior euadet, si Hebraismos hic non negligamus, postquàm Ioannes Hebræus erat, omne enim quod est qualecunq; sit, & cuiuscunq; negocij actio Hebræis uerbum dicitur, & in hoc sensu Verbum de futuro Christo iam ab initio erat apud Deũ, quia iam de eo in diuinis secretis tractabatur, & Hebræi dum negocium habent, dicunt, uerbum est mihi ad te: & misit uerbum suum, quando locutus est ut aliquid alicubi fieret, & egrediebatur uerbum à facie regis, adducam uerbum meum, ueniet uerbum tuum, quando eueniet id quod dixisti. Et ita dicebat Manne ad angelum, quando ueniet uerbum tuum, & cum uenerit uerbum tuum, scilicet, quod de Samsone dixisti, Iudi. 13. & 2. Reg. 15. Donec ueniat uerbum à uobis & nuncietis mihi, & cum uenerit uerbum prophetæ, Hiere. 28. Et in hoc sensu uenit uerbum quod iam ab initio erat apud Deum, donec eò peruenit res, ut arcanum manifestaretur, & Verbum caro existeret, & sic isti hebraismi non parum nobis conducũt hypostasi uerbi, ut dixi, nihil præiu-

dicantes. Simili Hebraismo uerificatur quod dicebant pastores, uideamus uerbum hoc quod factum est, Lucæ 2. Et uobis missum est uerbum salutis huius, Acto. 13. Et uerbum per Euangelium ad uos delatum, 1. Pet. 1. Et posuit in nobis uerbum reconciliationis, 2. Cor. 5. Sed his quæ à nostro instituto magis distant omissis, capiamus alia quæ magis ad propositum faciunt, & est exemplum quod ad hanc uerbi CHRISTI figuram manifeste pertinet, Psal. 106. ubi languentibus Israelitis in deserto, dicitur, Misit Verbum suum & sanauit eos. Et Psal. 104. Ioseph missus à Deo in Aegyptum tenebatur in compedibus, donec uenit uerbum eius. Et Esa. 9. Verbum misit Dominus in Iacob, quia locutus est euersionem decem tribuum. Et Hiere. 29. Transactis in Babel septuaginta annis, suscitabo uerbum meum. Et idem Verbum post de CHRISTO suscitauit cap. 33. Similiter Sapientiæ 18. dicitur, Omnipotens sermo tuus, exiliens de cœlo, quia locutus est ut media nocte primogeniti interficerentur. Hic enim egressus est interpretatio eius, quod dixerat Dominus, Egrediar in medio Aegypti. Supra enim nobis declarauit Petrus, CHRISTVM horum omnium fuisse authorem, nam oraculo suo יהוה egrediebatur, & ita Chaldaica translatio per uerbi nomen sæpissi-

me talia interpretatur. Vides ergo, quòd phrasis linguæ sanctæ, in qua sunt hæc omnia mysteria fundata, nos cogit, ut propter diuinam actionem & dispositionem dicamus, uerbum ibat, ueniebat, & mittebatur: nam CHRISTVS ea omnia operatus est, & oraculum illud iuit ad eos interficiendos & saluandos, sicut post ad nos saluandos sui manifestatione uenit.

Si quid aliud nostro sensu hic addere uelimus, non poterimus, nisi errare, & finaliter erit uerbalis pugna, istæ enim duæ regulæ sunt infallibiles. Prima, quod naturam Dei diuidere non possumus: secunda, id quod naturæ accidit dispositio, est ex hoc quod דבר rem significat, plures res aliqui concludunt: sed illa uerbi significatio ad aliud tendit, quòd enim dicitur Deus facere uerbum bonum, uerbum malum, Hebraismus est, qui non uacat mysterio, sed uerbi causalitatem notat. Sicut non uerbum, eis tantum significat sicut nihil, quia Deus tunc non est locutus, & Prophetæ, quando rem aliquam futuram prophetant, addere solent, quia Dominus locutus est, indicant enim uerbum Dei ad omnem rem, ad omnem actionem pertinere, quia ipse dicit, & fiunt, & nihil fit nisi ipse loquatur: non tamen quòd dabar, sit absoluta rei significatio.

Mala in Christianismo uenerunt, quia Dominus loquitur.

In summa, consyderabis diuinum propositum, ac si mundus esset hodie creandus, & per quem modum Deus id facere decreuit, & ex hoc intelliges eius œconomiam, tam in creatione mundi, quàm in datione legis, quæ omnia tendunt ad gloriã CHRISTI. Omnia ortum habent ex CHRISTI in Deo personali existentia, nam CHRISTVS est Elohim rex noster, qui iam ab initio operatur salutes in medio terræ, Psal. 73. Sicut & de eodem iuxta Apostolum dicitur, Tu in initio terram fundasti, ipse est cuius uox concussit cœlum & terram, Hebr. 12. Et Psal. 75. Iste, quem ascendentem uidimus in cœlum, est ille ipse qui prius descenderat, Ephe. 4. Ille idem in Apocalypsi & in Esaia dixit, Ego primus, ego nouissimus. Ipse est ille uisibilis Deus, qui creauit mũdum, & apparuit Abraham, Isaac & Iacob. Ipse est Deus legis & Prophetarum: & cum hoc absolute concedimus, quòd Deus legis & Prophetarum est pater IESV CHRISTI, quod uidetur contradictio. Ex qua Apostolorum doctrina male intellecta, quidam de antiquis Hæreticis dixerunt, quòd supra illum Deum qui creauit mundum, erat alius inuisibilis Deus: isti enim sacramẽtum CHRISTI somniabant, non intelligebant sine contradictione fieri posse, q; hoc ipsum oraculum erat apud Deum,

&

& erat ipse Deus: & q. licet Deus erat illud oraculum, tamen oraculum, & non ipse Deus caro extitit, mirabiles cõtrarietates hic dissoluit spiritus, profundissima Ioannis uerba, non modo uniuersam legem de Iehouah & Elohim declarant. Sed omnes etiam hæreses tollunt: loquor de antiquis hæresibus, quæ ueritati erant propinquiores, nam Græcorum stulticiæ post exortæ, nihil doctrinæ Ioannis appropinquant, sed insensatos decent philosophos.

Natura & p̃sona, est enĩ hypostasis ipsa, seu persona caro facta: sed res ipsa nequaq̃, et hæc est patripasiana fallacia.

Finaliter praxim & modũ perueniendi ad Christum, tibi ante oculos describo, ut uidendo ipsum uideas patrem. Præmittendum primo Deum esse omnibus modis incomprehensibilem inimaginabilem, nec Deo ipso noticiam formare sufficimus, nisi ille sub specie aliqua nostræ capacitati perceptibili se nobis accommodet: & hoc nobis indicat Magister Ioannis quinto.

Secundo, ille ex mero uoluntatis suæ beneplacito, se mundo manifestare decreuit per oraculum suum, ac si ego uocem meam inter eos qui me non uident, audiri facerem, & ita fuit tempore legis omni populo manifestatus.

Tertio, per oraculũ suum se Prophetis expressius manifestauit, caliginose tamen sub specie cuiusdam exẽplaris, ad cuius similitudinem formatus est

Adam, quia in eius oraculo relucebat prototypus imago illa, seu prima mundi figura CHRISTVS.

Quarto, nobis sine caligine & lucide manifesta tum ex supradictis quære, nam oraculum illud caro extitit, & uidimus eum.

De Christi p̃sona erãt tũc ortæ quæstiones.

Ex his duæ quæstiones oriri uidentur, scilicet ꝙ Deus erat corpus, aut quòd CHRISTVS sit phantasma, quarum utranq; tollit Ioannes. Nota tamen antiquarũ hæresum imaginationes super hac disiunctiua, quàm clare ueritatem nos docent: nondum uenerat Trinitas in memoriam hominum, à tempore Arrianorum philosophorum est clausa ueritatis inuestigandæ uia.

Ioannes igitur, ne quis corporeas formas in Deo imaginetur, declarauit hoc fuisse logon, id est, quod in ipsa Dei ratione consistebat dispositio sacramenti huius, qualitercunq; enim se Deus personasset, necessario debuit esse logos.

Secundo, ut phantasma tolleret carnem, nominauit dicens, quod numen illud caro extitit, & uidimus eum, & dedit nobis mentem ut cognoscamus ipsum, & patrem per ipsum, cui gloria & imperium in æternum Amen, Amen sine fine semper Selah.

FINIS.

Erratum.

Vbicunq; reperies Iehonah, tu lege Iehouah, per ou, non on.